IACOBI PRAEFECTI, NETINI, PHILOSOPHI, ET MEDICI SICVLI,

DE DIVERSORVM VINI GENERVM NATVRA LIBER.

Cum indice copiosissimo.



VENETIIS,
Ex officina Iordani Zilleti,
M D LIX.

3

3

S



IACOBVS PRAEFECTVS
OCTAVIANO LECTO,
PATRICIO ROMANO,
S. P. D.

SVPERIORIBVS diebus quum ad te mi Octauiane uenissem, me non parum rogasti, ut de diuersorum uini generum natura aliquid scriberem, quaquam Dioscorides, Galenus, Asclepiades, Plinius, plures ue alii uiri doctissimi tum de naturalibus, tum de facti tiis eisdem scripserint. hoc tandem negare non potui: & ne tui me putes desiderii immemorem dialogum hunc nostrum tibi amicissimo, testimonium meæ in te perpetuæ beneuolentiæ, dedico, tuoque nomini dono, quem alacriter perlegas. nã historiam de generũ uini uarietate nõ inu-

inutilem fore censeo; cuius moderatus usus admodũ laudatur, non solum à iunioribus, uerũ etiã à uetustissimis, & sapientissimis uiris, qui olim eruditissimo sæculo floruerũt, quibus magna in obseruantia fuisse uinum legimus, apud Hesiodum dicentem, Tres partes lymphæ, quartã fas addere uini. quod non liberalius epotum animæ corporiq; robur addit, lætitiamq; affert, immoderate uero sumptum, insanire faciens homines, egregias uirorum illustrium uirtutes obscurans; me hercule breuis rarusq; uini potus i tuto est. nam cibi & potus abstinentia à sapientibus cõmẽdatur: quam Moses iustissimus legum lator, dierum quadraginta

obſeruauit, Minos Athenienſis dierum nouem obſeruantia cum à Ioue maximo leges eſſet accepturus. Nos igitur in dialogo noſtro de immoderate uini ſumpti damnis, ac dè utilitate eiuſdem módice hauſti dicemus; & ueluti de ſaporibus guſtus ſanus iudicat, & de coloribus lucidus oculus nulloq́; affectus morbo, ita de quouis genere uini uir tempe ratus ſobriusq́; afferet iudicium, ac fuit Menippus philoſophus & medicus clarisſimus, qui cum Rota, diſertisſimo uate Neapolitano, acute diſputat. Vale, & (ſicut ſoles) dialogo faueas noſtro.

AVCTORIS CARMEN DE BACCHO, AD LECTORES.

PANGIMVS *Ogygij uires & gesta Lyæi,*
Qui populos hilares, reddit & armigeros.
Cum Ioue lætitia certat, cum Marte furore,
Et crasso somno membra tenella grauat.
Auricomã Venerem, & dulcẽ nutritur amorẽ,
Ac mouet insidias, prælia & arma fera.
Cui par cum Ioue sceptrifero est, cũ Marte potestas
A Ioue enim magno natus, & à Semele est.
Et bona sobrietas luget, deuicta ab Iaccho,
Qui conuiuia amat, gaudia, festa, iocos.
Et Bacchi comites sunt, immoderata uoluptas,
Ocia, & ebrietas, languidus atque sopor.
Vina nocent igitur, si non moderata bibantur,
Et contra semper hæc moderata iuuant.

INDEX VINORVM ALIARVMQVE RERVM MEMORABILIVM, QVAE in hoc opere continentur.

Vbi a, primam paginam, b, ſecundam demonſtrat.

VINI *uaria genera in ſympoſio parata* 10 a
Vinum falernum 10 a
Vinum græcum 10 a
Vinum pramnium 10 a
Vinum cariſtium 10 a
Vinum maroneum 10 a
Vinum marcociacum 10 a
Vinum maluaticum, aut creticum 10 a
Vinum lesbicum 10 a
Vinum campanum 10 a
Vinum achaicum 10 a
Vinum albanum 10 a
Vinum latinum 10 a
Vinum buxentinum 10 a
Vinum cæcubum 10 a
Vinum formianum 10 a
Vinum ſegninum 10 a
Vinum ſabinum 10 a
Vinum calonum 10 a

Geminianenſe 10 a
Vinum lucenſe 10 a
Vinum apianum 10 a
Rubellum 10 a
Oppianicum 10 a
Opimianum 10 a
Vinum aurelianum 10 a
Vinum pollianum 10 a
Vinum ualerianum 10 a
Vinum allobrogicum 10 a
Vinum rheticum 10 a
Vinum pellinæum 10 a
Vinum reginum 10 a
Vinum priuernum 10 a
Vinum tiburtinum 10 a
Vinum præneſtinum 10 a
Vinum guaranum 10 a
Vinum nomentanum 10 a
Vinum ſinueſſanum 10 a
Vinum marſilianum 10 a
Vinum uluanum 10 a
Vinum fundanum 10 a
Vinum barolianum 10 a
Vinum ſpoletanum 10 a
Vinum caulinum 10 b
Vinum trebellianum 10 b
Vinum rupilanum 10 b
Vinum ſiracuſanum 10 b

Vinum mamertinum 10 b
Vinum horicinum 10 b
Vinum herbulum 10 b
Vinum tarentinum 10 b
Vinum Benentanum 10 b
Vinum costantinum 10 b
Vinum laginium 10 b
Vinum aminæum 10 b
Vinum lusitanum 10 b
Vinum gallicum 10 b
Vinum burgundicum 10 b
Vinum uasconium 10 b
Vinum uindomicum 10 b
Vinum andianum 10 b
Vinum delnense 10 b
Vinum isatinum 10 b
Vinum prægeanum 10 b
Vinum fixanum 10 b
Vinum fusianum 10 b
Vinum aimum 10 b
Vinum tripholinum 10 b
Vinum labicanum 10 b
Vinum ibleum 10 b
Vinum netinum 10 b
Vinum ualuianum 10 b
Vinum uenafranum 10 b
Vinum erbulum 10 b
Vinum sucrotinum 10 b

Vinum

Vinum marsilium 10 *b*
Vinum salernitanum 10 *b*
Vinum sanseuerinum 10 *b*
Vinum massicum 10 *b*
Vinum priuernuntianum 10 *b*
Vinum pretunum 10 *b*
Vinum cesenaticum 10 *b*
Vinum mæcenaticum 10 *b*
Vinum grauicanum 10 *b*
Vinum stoniense 10 *b*
Vinum arsinum 10 *b*
Vinum titacazonum 10 *b*
Vinum adrianum 10 *b*
Vinum thabianum siue licurgicum 10 *b*
Vinum licurgicum præcipuum 25 *b*
Vini dotes 17 *a*
Vinum Homerus commendat 17 *a*
Vinosus Ennius 17 *a*
Vinum laudat Demetrius poeta 17 *a*
Vinum Persæ commendant 17 *a*
Vini usus à Platone descriptus 17 *a*
Vinum potans Homerus, cæcus afficitur
Vinum immoderate potans Ennius in articula rem morbum incidit 17 *b*
Vinolenti multi infeliciter extincti. 17 *b*
Vinolenti sacerdotes à Paulo damnati 20 *a*
Vinolentia homines in beluas conuertit 19 *b*
Vinolentus princeps morte mulctandus 20 *a*

Vino forma perit 20 a
Vinum moderate bibebat Romulus 20 a
Vino magistratus abstineant 20 b
Vino abstineant exercitus ductores 20 b
Vini copia diuersos causat effectus 20 b
Vini usus immoderatus quid pariat 21 a
Vini genera infinita 22 b
Vina omnia credidit connumerasse Democritus 26 b
Vini genera an sint eiusdem naturæ 26 b
Vini diuersæ naturæ 27 a
Vinum Arcadiæ prodigiosum 27 a
Vinum in Tapso contra serpentum ictus. 27 a
Vini diuersorum generum problema 28 a
Vini calorum dubitatio 29 b
Vinum dulce bibant, qui nullum affectum sentiunt 30 a
Vinum album quibus dandum 32 a
Vinum est ministrandum 32 a
Vinum celerrime nutrit 32 b
De uino noua dubitatio 32 b
Vinum quomodo bibendum 33 a
Vinum non semper calefacit 33 a
Vino immoderate sumpto, qui morbi oriantur 33 a
Vinum non dandum podagricis 35 a
Vinum nec pueris, nec mulieribus, nec adultis conuenit 35 b
Vina

Vino ebibito mulier occiditur. 36a
Vinum prægnantibus utile 36b
Vinũ laborantibus dolore uentriculi utile 37a
Vinum à niue, & nitro refrigeratum 37a
Vinum uetus febrem concitat 37b
Vinum an podagricis dandum 37b
Vinum quale bibendum a uolentibus generare 38a
Temulenti inepti ad Venerem 38a
Vinum cur assimiletur atræ bili 39a
Ceruisia 55b
Vinum diuinæ parti nocet 22a
Vinum ieiunis sumptum podagram generat, neruisq; nocet 52b
Vini immoderatus usus plures in podagram conijcit 53a
Ariadna inter sidera cæli fulget 13a
Coronam Ariadnes Liber pater in astris tenebat 13a
Bacchus inter astra cum Marte 13a
Silenus inter astra cum Baccho 13a
Epimenides philosophus diu dormiuit 13b
Cleofantus medicus antiquus, de quo Plinius li. XXIIII. *Cap.* XVI. *meminit* 16b
Cicero in Tusculanis de Alexandro meminit 18a
Fons Clitorius 20a
Anacharses abstemius 20b

Massinissa ad uinum temperatus, centum uixit annos 20 *b*
Pompeius, & Cyrus senior ad uinum temperatissimi 20 *b*
Populi diuersi temulenti 21 *a*
Certamen bibendi apud Germanos 21 *a*
Aquarum diuersæ species 26 *b*
Nili inundatio in Aegyptum 28 *b*
Aquarum sapores 28 *b*
Saporum utilitas 29 *a*
Saporum proprietates 30 *a*
Germani bibacissimi cur non apoplexiam incurrunt 33 *b*
Vinum in quibus febribus dandum 42 *a*
Vinũ dulce & mulsum cur minus inebriat 42 *b*
Temulenti in rigorem, & pleuritias incurrunt 43 *a*
In uino quæ consideranda 43 *b*
Vinum austerum post dulce ebibitum, cur non inebriat 44 *b*
Vinum cur reddit hominem uigilem 46 *a*
Vinum cur biliosos furentes reddit 46 *b*
Vinolenti cur tremunt 47 *a*
Vinũ cur parũ lymphatũ citius inebriat, quàm non dilutum 47 *b*
Vinum quod bibendũ post esum persicorũ 49 *a*
Vinum ualde uetus in quo ordine calefacientiũ ponendum 51 *a*

Vinum

Vinum contra uenena 51 a
Vinum cur natura calidum, actu frigidum inuenitur 51 a
Vinum cur congelatur 51 b
Vinolenti non possunt liberis operam dare 53 a
Vinum senibus dandum 53 a
Vino aquam miscuit Staphilus primus 54 b
Vinum factitium pluris generis 55 a
Vinum factitium à Dioscoride, Catone, & Columella descriptum 55 b
Conuiuij narratio 4 b
Seneca epistola XXXVIII. *de Alexandro meminit*
Plinius lib. xiiij. cap. V. *de Hippocratis, de uino, sententia* 20 b
Xenocrates Iuuenem ad uini temperantiam reuocauit 21 a
Aristippus Philosophus in uoluptatibus summū bonum posuit 22 a
Martialis de uino 23 a
Medicus non potest inuestigare unam communem naturam uini, sed Philosophus. 27 b
Theophrastus primum à Platone, inde ab Aristotele didicit 28 b
Animalia simplici elemēto non nutriuntur 29 a
Sapor dulcis medium continet locum 29 b
Manna generatur sub canis stellæ tempore 29 b
Saporum proprietates 30 a
Non

Non omnia amara, sicut calidæ substantiæ 30 a
Opium frigidissimum, & amarum 30 b
Dubitatio de amaris an semper nutriant 31 a
Dubitatio de odorum genere 31 a
Galenus medicorum dux 33 a
Adulatio similis chamæleonti, uirum probum nó decet 34 a
Menocrates medicus Siracusanus 34 b
Protagoras sophista 34 b
Pythagoras Philosophus moralis 35 a
Galeni laus 38 a
Modus gignendi masculum, aut fœminam 38 b
Aristot. de generatione animalium 38 b
Epicurus uates Marsus 38 b
Iuuènes Lacedæmonij senibus assurgebant 38 b
Poetarum sententia de Venere, & Baccho 39 b
Melancholici proni ad Venerem 39 b
Melancholici plurimi sibi mortem consciuerunt 40 a
Medici officium est affectos remouere, & substantiam innatam fouere 42 b
Quomodo ex aromaticis fit dolor capitis 43 a
Temulenti ualde cur minus sentiunt, quàm parum ebrij 44 a
Ebrietas affectus calidus 44 b
Temulentis ualde cur non accidit somnus 45 b
Somnus est animi, & corporis passio 45 b
Gelu per accidens calefacit 47 a
Genera-

Generatio tonitrui 47 a
Semen ebriosi cur improficuum 48 a
Ebrij cur balbutiunt 48 a
Homo sub aqua non loquitur 48 b
Ebrijs cur una res plures uidetur 48 b
Ebrij cur gaudent solis calore 48 b
Tragemata in secunda, uel tertia mensa cur ponantur 49 b
Democritus semper ridebat 50 a
Marius melancholia insaniebat 50 a
Philosophi cur fuerunt melancholici 50 b
Archimedes melancholicus 50 b
Saturni, & Iouis coniunctio facit homines ingeniosos 50 b
Aristot. de mistis 51 b
Sydus uindemiator 54 a
Menelaus ad conuiuium Agamemnonis 56
Sapientia non minus necessaria principibus, quàm corpori anima. 4 a

FINIS.

IACOBI PRAEFECTI NETINI PHILOSOPHI, ET MEDICI SICVLI,

de diuerſorum uini generum genera.

DIALOGI.

perſonarum nomina.
CALISTVS, CLEOBOLVS, ROTA, MENIPPVS *philoſophus.*

CALISTVS.

QVID hic agimus Cleobole? Cur ſole ſub ardenti, hac manemus in platea? hoc æſtu, meridianoq; tempore; ad umbracula ſecedamus; frigus captemus opacum. CLEO. Quo nam ituri Caliſte? Quæ à nobis umbracula torrentem ſolem pellent? CAI. ad amænos Rotæ Clariſsimi uatis proficiſcamur hortos, qui in hortorum medio marmoreũ ſtruxit conſeſſum, quẽ uirentibus lauri frondibus, myrtiue operuit, ornauitq; Imaginibus muſarum, atque Apollinis; in hac autem hora, mollis aura Zephiriq; ſpirant placidè. CLEOB. Qua nam in regione Rota noſtri amãtiſsimus, ſuos

habet hortos?ædesq; amplas? quas Ioui, Xenio, Genioq; bono dicauit. CAL. In Egle, in qua extat cælũ saluberrimũ, iuxta mare, intra urbis Neapolis noua mænia, quæ magarem intra mare cœruleum existentem, atque uetusta Luculli Romani ædificia sublime spectat, quæ uoluptatis honestæ causa, à fundamentis erexit, & ea modo diruta penitus miratur, noua uirentia uiridaria, domosque turritas prope littora pelagi, Mergellinamq; Miconi admodum carã, & Porthinis Eglen apricã, arboribusq; uariis, & uitibus ornatam, utrũq; complectitur ueluti Isthmũ Corinthiacum. CLEOB. Eamus ad florentes hortos, & ad Rotam, latinis musis; pariterq; Hetruscis prorsus deditum; qui nos amicos caros habet, ut Orestes Pyladem, & Pythias Damonem, & Scipio Lælium. CAL. Me Hercule uir est, qui apud principes gratia plurimum ualet, dulcissimusq; uates est; & ut breui complectar omni genere doctrinæ ualde ornatus, suisq; metris rhytmisq; nõ solum aures uacuas hominum, sed Sirenum demulcet; animosq; urbanitate hilarat. CLEO. Quid commoramur? CAL. Eamus, calor. n. solis maximus est; ardentibusq;

exsudo

exsudo caloribus, Cleob. Per Iouem, ex omni parte mei corporis defluunt su dores, instar aquarum fontium; festinemus Caliste, & cito ad Eglen accedamus; uidere & audire Rotam dulce loquentem, in suis apricis tectis, pictis sa tis, satisq; desidero, cuius poematibus iuuenes bonarum musarum studiosi, senesq́; graues delectantur, cum propter elegantiam mirasq́; sentētias, tum propter lepores Atticosq́; sales, suis in carminibus consperfis. Cal. Ita est, Cleo bule iam Egle appropinquamus; aspice florentes hortos, ædesq́; nouas atq; celsas nostri uatis Rotæ amicissimi. Cleo. Oh mi Caliste, Ioui optimo maximoq́; grates ago, quia hac hora hic sumus; iã noua & amæna uireta nouaq́; ædificia uideo, mirifice gaudeo, lassus de uia nempe sum; nam hic dies, Sole ardētissimo, ardet; opus mihi quiete est. Cal. Abeamus hinc ad fores uiridarii, quas aperiri uideo, ubi sedilia sunt; Cleob. Probè inquis mi Caliste, & quia ad locum peruenimus optatum, non absq; labore; longa enim mihi seni fuit uia; interdum aliquantisper consessum capiamus. Cal. Libenter, tēpus certe quiescendi est, Cleobule, quia benigne nos

Egle cœpit, lassosq; satis recreauit, ita quod nullum modo sentimus laborem; hinc discedamus, & Rotam salutemus, in suo atrio, marmoreis lapidibus constructo, pictoque, stantem; Imaginibus antiquis poetarum ac oratorum admodum ornato. Cleob. Recte inquis, eamus eum salutatum. Cal. Perge, sequar. Cleob. Salue Rota amicorum optime: Salue decus musarum, & dimidium animæ meæ. Ro. saluus sis Cleobule ac felix, ter quaterq;, una cum Calisto nostro; mirifice gaudeo aduentu inopinato uestro; mihi ædepol summa est lætitia, summaq; felicitas, qua uestrã amicitiam sum assecutus; quã inter nos tam fidelem incepistis; cuius sacra domicilia, pectora uestra sunt; eamq; sanctè colitis; moribus enim doctrinaq; Socratis ab adolescẽtia uitam omnem ornastis uestrã, iure, sapientissimus quisq; uestram discupit necessitudinem; dicite, quare hoc calidissimo tempore, & hora non oportuna, ad Eglen uenistis? Cleob. Cal. uenimus, gratia fugiẽdi Solis calores, in leone, existẽtis; tui maximo desiderio moti. Ro. probè fecistis, interea capite has sedes, lassos ambos longo itinere, atque labore uos ui-

deo.

deo. Cleob. Ita ſane eſt, ſed uiridario tuo amæno, noſtra nēpe recreantur cor pora, animiq́; , quòd ſub tutela Veneris poſuiſti antiquos hortos, regis Adonis, Alcinoi, Heſperidumq́; tuum uiridariũ ſuperat. Sed dicas, quæſo, quis nam libellus eſt iſte, quem tua ſiniſtra tenet? Ro. Accii ſannazarii opus eſt, quo poeta ob elegãtiam linguæ latinæ, ac inuentionem mirificè delector, ut Alexander rex magnus, Homeri lectione oblectabatur, cuius poemata crebro in manibus habebat; & ſi quando mihi à domeſticis, atq; familiaribus negotiis, hic animus relaxandus ſit, nullum alium capio librum, ad legendum quàm elegias, atq; eglogas piſcatorias, Accii uatis clariſsimi; ut Scipio Aphricanus, pædiam Cyri, noctesq́; diesq́; perlegebat; Sannazarius Hercle inter neotaricos uates, in ſcribendis poematibus, laudes meruit maximas; tanta quidem dexteritate ſcripſit, quòd antiquis poetis proximus fuit; ea enim quæ ſcripſit, uenuſtatem bonorum redolent poetarum; niſi inuidorũ opinio, ridicula ueritatis obſtet. Cleob. Optime iudicas; ſed, Iouinianum'pontanum poetam illuſtrem, ſententia uirorum doctiſsimorum, præci-

pue hominis, omnium ſcientiarum peritiſsimi; cuius doctrinam Minerua doctiſsima, apud gymnaſia tā Græca quàm Latina, in diuerſo terrarum orbe, ſatis commendat; miriſq; laudibus extollit, & inter antiquos diuinoſq;uates, atq; inter clariſsimos oratores numerandum eſſe cenſet. Ro. Non aliter iudico; Sua enim Calliope Publium Maronem ſequutus eſt, & arte dicēdi Ciceronem, & tu Caliſte de iis uatibus quid cenſes? Cal. Idem ſentio, quod tu dicis, nam ea quæ commendas Rota doctiſsime ab omnibus laudatis uiris probantur, quamuis hominum opinio ſemper uaria fuerit. Ro. uera Caliſte loqueris, Homerus enim omnium poetarū optimus,diuinuſq;, qui non minus philoſophus quàm uates fuit, plures Ariſtarchos, plures Momos pluresq; Heraclitos fugere non potuit, non ſecus Archilochus, quem Heraclitus Epheſus acriter carpſit, id æque omnibus poetis,hiſtoricis, oratoribus, atq; philoſophis, omnibusq; demum aliarum ſcientiarū auctoribus contingit. omnes enim illi qui poemata fingere, hiſtoriasq; componere ignorant, atq; concionari, cauſaſque rerum ſcrutari, cenſores acres,

criticiq;

criticiq; iniuſti euadunt. CLEOB. ita eſt, ſed ſermonem hunc omiſſum faciamus. Ro. bene inquis. unde ad me hodie ueniſtis? nũquid ex academia ueſtra? CLEOB. Cal. nequaquam, ſed ex platea ulmea, ultro ad te uenimus, cauſa noſtros recreandi animos. Ro. auſpicato ueniſtis, nil mihi gratius hodie eueni re potuit, quàm uos uidere atq; alloqui, enimuero auidus uos uidẽdi eram, iam annus eſt, me caruiſſe ueſtro colloquio dulciſsimo, quorum amicitiam principes non parum deſiderant, quia in ſtudiis optimorũ philoſophorum peripateticorum educati eſtis, principibus re gibuſq; non ſecus ſapientia eſt neceſſaria, quàm corpori anima. CLEOB. CAL. uerisſima Rota uates dicis, nunquàm Hercle philoſophari ceſſauimus, & ſemper plura diſcentes ſeneſcimus, & nemo philoſophus fieri potuit, niſi quàm plurima in uita ſua diſcat, & in ſtudiis bonarum diſciplinarũ patiatur idẽ quod paſſus laborioſus Cleantes fuit. Ro. Sic eſt, iure philoſophi clariſsimi eſtis, nã Bononiæ Patauiiq; uiginti annos philoſophiæ uacaſtis, ut Ariſtoteles Athenis; & ob amorẽ bonarum ſcientiarum, amplum patrimonium (ut

Anaxagoras) diſsipaſtis, merito reges ſapientiſsimi, laudatiq́ue principes ueſtra utuntur familiaritate, & ad aulas regias frequẽtius uos accerſunt, quos meliores ac moderatiores uos redditis, & ad bene faciendum propenſiores, iure apud ipſos inuitis, & merito ſuas uobis diuitias impartiunt, quia à uobis philoſophiam, ut Alexander rex Macedoniæ ab Ariſtotele, audiuit, iccirco ſapientiores, ac prudẽtiores euadunt; philoſophia enim animos principum illuſtrat, quæ regere Imperium, regnumq́; augere ſcientiſsime docet, & felix eſt regnum cuius rex eſt philoſophus; hactenus de philoſophia; Interdum enim Caliſte ad cubiculum accedas noſtrũ, & in eo recumbas, ſcio quidem te meridiano tempore ſolitum eſſe dormire. Cal. ita mi Rota faciã, ut iubes, ſomnus quippe ſenſim mea irrigat mẽbra; ualete amici, ad ſoporem mollem acce-
narratio conuiuii, do. Rot. i felix, è in utranque dormias aurem, Interea Cleobule ſympoſium nouum, ſplendidumq́; mihi narrato, in quo ex numero ſelectorum conuiuarũ tu fuiſti. Cleob. Libenter conuiuiũ numeris omnibus abſolutum in electo loco, electoque tempore, magno cũ

appa-

apparatu, conuictoribus innumeris, haud loquacibus, ultra musarum, gratiarumque numerum, prælautum, dignumq; memoratu; mensasq; antiquas superans syracusanas, quàm breuiter tibi narrabo. R.o. mihi Cleobule rem gratam feceris si ocyssime symposium narraueris, incipe obsecro, & nihil ei reliqui facias. CLEOB. Cum Diomedes carrafa Arriani antistes modo Cardinalis amplissimus, olim regiam amplam ædificasset, tabellis, statuis, picturis uariis, & colũmnis marmoreis ad modum decoratam, in qua dies nulla umbrosa, tenebræq; nullæ uidentur, cuius prælucentes fores atque argenteas, Vulcanus faber signis uariis cœlauit, habet porticum amplam, longamq;, quæ auram die sereno placidoq; semper accipit, & extra porticum latã signis Phidiæ, Praxitelisque ornatam, hortos pomiferos redolentesq; conseuit topiariis uiteis, myrteis, laureisque contexuit, cui neque æstate, neque autumno, neq; hyeme, neque uerno tempore fructus uarii dulcesque deficiunt, & poma post poma senescunt, in quibus pudicæ formosæq; puellæ, matronæq; graues, uerno tempore, rosas, uiolas

Diomedes carrafa antistes Symphosiastes.

las, floresq; alios ungue tenui colligũt, corollasq; odoriferas contexunt, æstate, & autumno quas illos fructibus uariis complent, hoc sane uiridarium Alcinoi uireta phœacum regis, amænitateque superat, atq; pomaria Cyri principis persarum, fontibus, fructibus, floribusq; antecellit, consitumq; loco saluberrimo est, sub urbe Neapoli, prope littora sinuosa maris uicina lõgo antro quod Coccetum condidisse memoriæ proditum est, quod euntibus Puteolos, Baias atq; sinum Lucrinum uiam pandit propè pausylipum montem uitiferum apricumq;, in quo mira est cæli clementia, ubi senes multi, aui, proauiq; uidentur, in cuius radicibus, scopuli excisi, Mergellinæ Nymphæ sunt, quæ in suo littore sedens uarios ludentes pisces in æquore spectat, & in iisdem scopulis, littoribusque curuis, Sanazarius uates Neapolitanus celebris, phanum operosam uirgini immaculatæ Syriæ Palestinæ deiq; optimi maximi parenti uiuens dicauit haud procul à tumulo Publii Maronis principis latinorum poetarũ. In hoc uiridario atque myrteto palatioque pontificio, conuiuium hoc non minus nitidum quàm frugi, amicis doctissi-

Pausylipus mons saluberrimus.

ctissimusque uiris antistes excellens animi magnitudine parauit, quãuis corpore ut statura fuerit paruus, ut Tydeus Oenei regis filius, qui armis inclitus fuit; solet quidem in corporibus exiguis magna regnare uirtus, per Iouem magna festiuitate Symposium celebrauit tanta hominum frequentia & numero discumbentium, cum prius in sacro templo ad aram solennem Deo optimo maximoq; sacrificasset, pro pontificatu & salute Pauli IIII. Pontificis maximi in urbe Roma nuper creati, à senatu prudentissimo toga induto purpurea, quem Deus in uiam æternæ salutis dirigat, ut alios optimos Põtifices; & mensæ copiose magnificeq; ornatæ paratæ fuerunt, sub conopeo trabico, & in abaco mira composito arte, quem citreorum frondes, aliarumque arborum inumbrant, opus quidem topiarium erat, uasa corinthia ex auro fuluo, argenteoq; antiquo ordine posita erant, quibus antistes maximus in suis utebatur mensis, hora nona post solis ortum, Classiarii tubis canoris, atq; tibicines tibiis lõgis signum cœnæ conuiuis omnibus dederunt. Ro. dicas mihi Cleobule couiuas. Cleob. Maximus fuit

conuiuarum numerus, quos omnes nominare longus esset sermo, sed quàm plures secutos tibi narrabo. hi fuerunt Placitus sangrius uir grauis, omniq́ue doctrinæ genere admodum ornatus, Iulius Cæsar Caraciolus qui lyricos uersus Hetrusca musa dulce canit, Antonius Carrociolus eloquẽtissimus, moribus candidis literisq́; atticis, romanisq́ue eruditissimus, Marcus Antonius Paganus rei militaris disciplinæ peritissimus qui de armis & de natura equorũ ad principes copioso ornatoq́; stilo Hethrusco scripsit, Scipio Bicciutus iuuenis non minus uirtute quàm antiqua nobilitate clarus, Ferdinãdus carrafa musis latinis Hetruscisq́ue candidisq́; moribus admodum insignis, Franciscus Antonius uillanus Philippi regis Cæsaris filii fidusque prudentissimus cõsiliarius, Ioãnes Angelus Pisanellus iuris consultus acutissimus, optimusq́; patronus, qui ob summam prudentiam legumq́ue doctrinam, merito in numero sapientũ est habitus, Marinus Fleccia, Paulus Magnanus, legum doctores clarissimi, qui iudiciis tanquàm Dynaste iustissimi præsunt, & unicuique quod suũ est sine controuersia tribuunt, Thomas Naderius

rius

rius ciuilium sacrarumque legum peritissimus patronusque acerrimus, Marcellus Berragutus Senensis iuris consultus, qui leges ciuiles in gymnasio Neapolitano ære regio publice interpretatur, Antonius Barrãtius senex barbatus iureconsultus ualde grauis, & ad consulendum prudentissimus, qui in iudicio iustissimus est, & aures non faciles criminatoribus donat, uti uiros decet sapientissimos, Marcus Antonius Flocarus iuris ciuilis pontificiique peritissimus, causarum forensium maximus patronus. Federicus lõgus Minois Lycurgi, Solonisque doctrinæ maximus sectator, Antonius Feltrius iuuenis doctissimus, doctrinaque legum ciuiliũ, iurisq; sacri pontificii ualde decoratus, Andreas Coscia uir pius erga amicos, pietatis, officii, religionisque obseruantissimus, Camillus Scorciatus homo non minus doctrina quàm moribus optimis insignis omnique laude dignus, qui suos amicos ita caros habet ut C. Lælium Scipio Aphricanus, Ioãnnes Baptista Mansus ad legum scientiam peritus, ad consilia & urbes gubernandum prudentissimus, qui tribunus Populi diligentissimus est. Hi simul in longa mensa sede-

runt

runt cænantes,& in altera mensa hi con uictorum cænauerunt: Epicurus poeta senior genere Marsus, qui inter latinos poetas claret Hetruscosq́; , quia ex Helicone phebi suscepit coronã: Nicolaus Frãcus uates acutissimus,qui plurimũ in scribẽdo candoris,salis,fellisq́; habet, quẽ Camœnæ romanæ Hetruscæq́; aluerunt:Antonius Mantuanus,non minus philosophus quàm uates, qui erga Deum pietatẽ habet, erga mortales iustitiam,& in actiones suas prudentiam: Loysius tãsillus musarum Hetruscarum decus: Ioannes Baptista primus Apollinis musarumq; comes:Adrianus Guilielmus musarum bonarum hospes ueterumq́; statuarum atq; antiquitatis amator, quibus sua porticus satis est ornata: Ioannes Franciscus Brancaleo, philosophus, orator, atque medicus celeberrimus utriusq; linguæ peritissimus, cuius eloquentiam Demosthenes, Isocrates, Ciceroq́; Romanæ eloquentiæ pater,unà admirarentur. dulcis enim & numerosus est in dicẽdo, & sua eloquentia & dulcedine orationis hostes hostibus conciliare posset atq; urbes inimicas sua oratione subigere: Marinus Spinellus archiartos in medendis humanis corporibus

corporibus peritiſsimus admodumq; fortunatus,qui merito patritiis atq; Regulis Neapolitanis carus eſt;ut Theombrotus medicus clariſsimus Ptolomæo regi, qui Antiocham regem ægrotātem incolumitati reſtituit:Marcus Bellocta patria Beneuētanus mathematicus philoſophus, & medicus præſtantiſsimus, qui de ſtellis fixis motuque planetarum haud ſecus loquitur quàm Anaximāder Mileſius, atque Deroſus: Iacobus Damaſius patria Brucellenſis nullius ſcientiæ expers: Ioannes Paulus philoſophus & medicus clariſsimus, Iacobus Toletus medicus rationalis celeberrimus, Petrus Milo Hiſpanus medicus illuſtriſſimi Ducis Albæ peritiſsimus, Petrus Marius Maurus genere Auerſanus medicinæ & philoſophiæ ualde ſtudioſus, Nicolaus Comes Niphi philoſophi auditor medicæq; artis ualde peritus,Ioānes Argenteſius Caſtellonouenſis philoſophus & medicus acutiſsimus, qui in uerba Hippocratis, Galeni, Ariſtotelisq; philoſophorum principis, addictus hoc anno à rege auro honorifice conductus paruā artem Galeni in ſtudio noſtro Neapolitano publice docuit, & alter Aſclepiades Patrenſis eſt, qui nouæ

ſectæ

ſectæ medicinæ fuit autor, Ioannes Antonius Nouanotrius medicus dialecticus eruditiſsimus,qui acute cum philoſophis & medicis diſputauit, Antonellus Rogerius patritius Salernitanus medicus & philoſophus rariſsimus,Donatus Antonius cognomento ab Altomari arte medicus & famiglia inſignis,Ioãnes Thomas Copula medicus clariſsimus ut alter Democratus,Troilus Laurus arte Apollinea admodũ clarus,Ioannes Bernardinus Longus,philoſophus & medicus eruditiſsimus qui in ſtudio philoſophiæ Portio ſucceſsit philoſopho, ut Theophraſtus Creſius Ariſtoteli,Ioãnes Antonius Piſanus iuuenis doctiſsimus, in re medica alter eſt Aeſculapius,qui conclamatos homines ad uitam,ut Androgeum ab Athenienſibus peremptum,ab inferis ad ſuperos reuocauit, & Minoi parenti ipſum reſtituit, Antonius papus medicus clinicus,qui morbo affectis opem non mediocrem affert,ut Criſippus, Ioannes Angelus Romanus iuuenis acutiſsimus,in medicina alter podalirius,Sacrarumq; literarum maxime ſtudioſus,Laurẽtius Eucharini Chariſei philoſophi & medici clariſsimi filius, arte medica et uirtute

patris decoratus, Aſcanius et Proſper Santini fratres cōcordes, quorum unus podalirium ſequitur & alter Chironem: Diogenes Siculus medicus clinicus nō obſcurus, cui fortuna ſecūda ſemper inimica fuit, quæ bonis ſemper aduerſatur, malisq́; prodeſt & nunquàm perpetuo eſt bona: Carolus perfectus Machabeus, philoſophiæ, medicinæ, artisq́; dicendi omniū peritiſsimus: Victorius Salētinus Græcis literis, Latinisq́; clariſsimus: Michael Caluus, & Ioānes Baptiſta Pariſius iuuenes ſiculi philoſophiæ & medicinæ ſtudioſiſsimi: Magiſter Ambroſius ordinis diui Dominici ſacræ Theologiæ fideliſsimus interpres; maximusq́; concionator: Menippus philoſophus & humani corporis moderator clariſsimus, maximusq́; Palatinus. Et in alia mēſa ſimul cænantes erant Thomas Laurus philoſophus & medicus clinicus atq; Iatraleptes, ut Arcagatus Pelopōnēſis, qui primum ex medicis Romā uenit: Pyronius peripateticæ doctrinæ ſatis ſtudioſus: Ioannes Iacobus Sagiſius: Pyreus Ant. Teuerona: Ioannes Baptiſta Roſillus: Franciſcus Ant. Cattus artis Machaomæ peritiſsimi, humanorumq́ue corporū defenſores, atque eximii pro-

pugnatores ac malorum morborũ propulsores natura duce. sed alios cõuicto res minime narrare possum, quos in cõuiuium Antistes maximus excepit, qui in mensis splẽdidis laute discubuere, ne te molestia afficiam, ut homo garrulus molestissimus, qui auditores non facile assequitur. Ro. Hactenus de conuiuis dixistis satis, sequere modo narrationẽ epulorum, ac ordinem cõuiuii: certe tu nunquam garrulitate usus es, ut tonsores, ad quos loquacissimi mortales con fluunt, atque assident, te libenter audio quia semper ad gratiam uirescis, & in di cendo nouus es semper, nullumq; fastidis. Cleob. Subito sedentibus conui uis, quidam ex ministris malluuia argen tea uasaq; cristalli, elatis dextris cœperunt, & primum fuderunt aquam manibus Antistitis, qui summũ accumbebãt eorũ, deinde conuiuæ omnes suos aqua abluebant manus, aliiq; ministeria symposii magno distinxerunt ordine. quidã mensas omnes mantiliis niueis onerarunt, alii cerere, alii dapibus uariis & prompte ministrabant, alii pocula aurea manibus elatis gestabant. Interdum cyathos, crateras uino replebant spumãti rite porrigentes cœnantibus, tur-

ba

ba frequens ministrorum in uiridario amœno modo hac modo illac uoluebatur, motusq; uarios intermiscẽs, ac inter dapes uarias conuiuæ hylares uaria petebant uina uti mos est in conuiuiis in quibus commune certamen bibendi esse solet, quod nulli recusare licet, tũc poculatores uina poculis craterisq; fuderunt ea propinantes petentibus. Sed conuiuæ oẽs citra diu ut cum bibebant ea uina. In hoc cõuiuio parata innumera fuerunt & difficilia, dum uini præsertim à diuersis adducti regionibus, à quibus & uaria eius qualitate, diuersa sumit nomina, atq; etiã ab urbibus agrisq; à quibus trahit originem, sicuti Vinum Falernum, Græcum Pramniũ, Caristiũ, Maroneũ, Marcociacum, Maluaticum, Creticum, Lesbicum, Campanũ, Acaicum, Albanum, Latinum, Buxentinum Cæcubum, Formianum, Segninum, Sabinum, Chiium, Calonum, Geminianense, Lucense, Apianum, Rubellum, Oppianicum, Oppimianum, Aurelianum, Pollianum, Valerianum, Allobrogicum, Rheticum, Pellinæum, Reginum, Priuernum, Tiburtinum, Prænestinum, Guaranum, Nomẽtanum, Sinnessanum, Suessanum, Marsilianum, Vluanum, Fundanum, Ba-

Vini uaria genera in symposio parata.

rolianum, Spoletanum, Caulinum, Trebellianum, Rupilanum, Syracusanũ, Mamertinum, Horicinum, Herbulum, Tarentinum, Beneuentanum, Cōstātinum, Laginium, Aminæum, Lusitanum, Gallicum, Burgundicum, Vasconium, Vindomicum, Andianum, Delnense, Isatinum, Prægeanum, Fixanum, Fusianum, Aimum, Tripholinum, Labicanũ, Ibleũ, Netinum, Valuianum, Venafranum, Erbulum, Sucrotinum, Marsilium, Salernitanum, Sanseuerinum, Massicum, Priuernuntianum, Pretunum, Cesenaticũ, Mœcenaticum, Grauicanum, Stoniēse, Arsinum, Titacazonum, Adrianum; Multaq; alia genera uini pocillatores conuiuis attulerunt, quorum nomina in infinitum producerentur ferè, nec memoriæ hærent omnia, unum quodq; in suo genere redolebat profecto ueluti nectar potus deorum gentium. Interea chirotomi, Phasianos, Attagines, Capos, Gallinas numidicas, Pauones, Anseres, Anates, Papiones, externas aues Turdos, Ficedulas, puresq; alias uolucres, Apros, Portellosq; lactentes ueribus inassatos, gladiis acutis mira manuum arte diuidebant, mensisq; distribuebant omnibus; aliique ministri anhelātes in hortorum

habianum, ...ue Ligurgi ...um.

stra-

ſtratis currebant, ferentes patinas plenas tectis, artocreis, atq; aliis dapibus ſaliaribus quibus Architiclinus omnes ornauit menſas, ac oportune conuiuis uniuerſis exhibuit; poſtremo centum quinquaginta diſcoboli ætate pares, bellariis ultimas impleuerunt menſas, quæ late conuictores epulari non ceſſarunt quamuis uentriculos dapibus uarietateque uini exſaturatos habuiſſent. ſed poſtquam amor uini poculis compreſſus eſt, fameſq; epulis uicta ceſſauit, Sympoſiaſtes amplum ac gemmiferum craterem falerno uino ſpumãtiq; ſibi plenum dari popoſcit libauit, libatũq; porrexit uniuerſis conuiuis qui ſummo tenentes ore libauerunt; at Menippus philoſophus & medicus expertiſsimus, maximuſq; Palatinus ſiue aulicus, læta frõte crâteram ſuis accepit manibus cum talia diceret; adſis Bacche dator lætitiæ bone decus, & hylaris ſe proluit auro; & falernum magna cum uoluptate hauſit. Solet enim ex amphiteto in menſis regalibus bibere. Remotis denique menſis theſſaratis, ſcena, magna arte parata fuit, in qua Bacchus, Iouis ex Semele filius ſuper Tygridem equitans uidebatur, cui facies muliebris erat, & caput

armatum cornibus acutis, uelatumq́; racemis, pectusq́; nudum, cuius ſiniſtra pateram amplam tenebat, quam ex auro fuluo Vulcani manus fecerant, in cuius medio Apollinem nouemq́; muſas Iouis & Memoriæ filias cælauerant, dextraq́; uitem habebat, a qua grãdes pendebant racemi, Bacchum Ino nutrix, Semele mater, Aganæ, atque Autonoe ſimul cum Corybantibus, innumerisq́ue centauris greſsibus incedentibus equinis ſequebãtur. Olli uiſo Baccho imberbi iuueniq́;, Hermogenes Tamytas, Demoleus, atque Achion cantores peritiſſimi Rhodii hos ſacros dythyrambos ſimul cæcinerunt quatuor auratis perſonantes citaris, uti ſolent in conuiuiis regum hymnos cantare mellifluos.

CANTORES AD BACCHVM.

SALVE Bacche Iouis Semelesq́; proles
Quẽ nympha captũ à patre rege deco-
Cãdẽti lacte, & prædulce fouerũt (re
Melle, ſinu in tepido, molliq́; tenentes,
Cingentes caput uiolisq́; roſisq́;
Vallibus in Nyſæ antroq́; uirenti
Salue Enan copioſe & uuis
Dulcibus ornate,
Quem ſacræ muſæ Fauniq; Satyri

Atque

Atq; Hamadryades Dryadesq; procaces
Comptæ & Oreades innocuæq; Napææ,
Centauri duri Panesq; lycei,
Saltantes ſemper uenerantur omnes,
Atque docent montes, colles ſyluasq;
Et nemora umbroſa antra & opaca
Ac fontes gelidos & flumina amæna
Et ſpelæa caua atque horrẽda ferarum.
Bacche tuum ſacrum reſonare nomen
Quod ſuis recantat uocibus Echo
Nympha iocoſa per auia & antra
Ter Bacchũ, Bacchũ; Bacchũ reclamans
Cum Iunone Dæa ſub rupe ſedenti,
Tecta hedera uiridi nigrisq; corymbis,
Arma, iramq; tuam ſæuosq; furores
Non ceſſant uates cantare ſub umbra
Daphnes, belliger Io, Bacche,
Penthea puniſti, regemq; Lycurgum,
Viciſti anguipedum fera bella Gigantũ,
Quorum rupiſti unguibus ora leonis:
Aptior feſtis, Choreis iocisq;,
Tu curas hominũ diſpergis edaces
Et requiem miſeris mortalibus affers
Et dubiis reducis ſpem mẽtibus amplã,
Credulaq; uitam fouet ore ſereno
Amnem tu flectis, uitreosq; fontes
Tu timidos audere facis, fortesq;
Reddis, & audaces in terris, & alto
Aequore.

Imbelles ad bella uocas uiolenta,
Et facis ad Martem, mortēq; promptos
Ac neruis uires das, atque calorem
Extinctum reuocas senibus,
Et robur ualidum membris ministras
Et uatum reddis præcordia læta,
Ac Venerem calore foues, natumq;
Cum genitrice Dea frugum potenti.
Tu linguam, pectusq; moues, & operta
Dulcis Iacche recludis
Mortales cogis quin uera referre.
Te Ganges dominus sensit potentem
Imperii clarum terraq; mariq;
Namq; triumphasti magnū per orbem
terrarum
Fronde triumphali tua tempora cinctus
In curru, uectis uastis elephantis
Caprum Bassaridum immolante turba
Et calamos Faunis inflantibus ore
Ac bucina Satyris, & tympana palmis,
Et caua Baccharum turba pulsantium.
Cymbala.
Musis, & Phœbo cytarisq; lyrisq;
Personantibus, gaudete Cybele
Et Ioue, uitifero primoq; triumpho
Inde tuum in thalamum tedasq; iugales
Gemmifera frontem redimita corona
Venit pulcra Ariadna,
Vecta capistratis à tygribus Indis

Te nato Iouis contenta marito
Quæ modo flammiferi inter ſydera cæli
Enitet, & ſua clara corona refulget
Sub cauda fului aſtriferiq́; Leonis,
Quam tu fixiſti radiantibus aſtris.
Et mō cælū habitas cū Marte corruſco
Et calido ſuffundis lumine terras
Nutritor tui & ſenex Silenus
Haud procul a te ſplendet in aſtris
Nymboſæq; Hyadis quæ cornua tauri
Summa tenēt, alto te in æthere alūnum
Spectant, nutrices quoniam fuere
Nempe tui
A Ioue ſunt cæli aſtriferi locatæ
In rutila ſede
Euge Bromi, quæ inter mō numina diuū
Sublimis ſtellato in æthere fulges
Redde omnes hylares conuiuia lauta
Qui muſis faciunt placidis Phœboq́;
Fontibus in uitreis, latisq́; uiretis
Ceu ſacer Antiſtes Carrafa in amænis
Hortis inſtruxit ſympoſia amicis,
Te bene Iacche precamur.
Et nos qui menſis regalibus hymnos
Cantamus tibi, fac, fac uiuere lætos.
Ac Chium potare merū, hinc ad multos
Et paſsim fiāt tua pocula plena (annos
Nectare dulci
Ac dexter tua ſacra colentibus adſis,

Ariadna inter ſydera cæli fulget.

Coronam Ariadnes liber pater aſtris tenebat.

Bacchus inter aſtra cum Marte.

Silenus inter aſtra cū Baccho.

Myſtica, Latinæ pater Craſsiq́; ſoporis
Vſque precamur.

CANTORIBVS hymnum modulatis ſacrum alternis uocibus, Citarisq́; canoribus ſub picta ſcena conuiuæ diem generalem uario dulciq́; ſermone terebant, ut in conuiuiis fieri ſolet. interea nocte ueniente umbris maioribus de montibus cadentibus, omnes conuictores, à ſedibus ſubſelliisq́; ſimul ſurrexerunt abeundi libertatem, ab Antiſtite Sympoſiarca petentes, quibus læta fronte conceſsit, & Luna nigri perlucente abierunt, facibus tamen accēſis præbentibus lumina nocti. Ro. O lautū conuiuium, & nouo paratū ſplendore, ſumptibus magnis, mirabili ornatu, magnoq́; in ſtructura ordine, non ſine ſtupore miror in quo fuit tanta epularum uarietas, tragematum, generumq́; uini copia, per Iouem Luculli familiares in diebus genialibus, qui cum eo cœnabant, In Apolline, non copioſius conuiuium hoc habuerūt. CLEOB. Rota uates dulciſsime non ne tibi ſympoſium dignum memoratu narraui? & nō poeticum ut nonnulli credunt. Ro. Cleobule lepidiſsime narraſti conuiuium uerū & non
poeticum

poeticum, ſed cuperem omniũ uini generum differẽtias ſcire atque naturam, quæ ſympoſiaſtes in ſuo parauit conuiuio, quia non ſolum uinum Italicum, ſed traſmarinum illic affuiſſe narraſti, propterea rogo Cleobule ut omnium generum uini naturam mihi ſcire cupienti diligentiſsime explices, nolisq́; rem facilẽ cupido mihi amico negare. CLEOB. me Hercule libenter facerem ſi uinum biberẽ, ſum etenim abſthemius, nam parentes mei à teneris unguiculis uinum mihi interdixerũt, propterea nullum uini genus aperire poſſum tibi, nec de uini natura quidquam loqui, ſed bene de aquarum natura, quæ hominum mentes non mutant, nec perturbant. Spartani abſthemii fuerunt, ut teſtatur Xenophon libro de republica. iure Spartani uino abſthemii fuerunt; atque mei parentes, qui, & obſoniorum nũquam fuere amatores, ita me educarũt, ac ſi Spartani fuiſſent. RO. prudẽter parentes tui ſobrii te inſtituerunt, ſed mihi dicas, quem nam uirum doctum cenſes, qui copioſe de generũ uini natura dicere poſſit? CLEO. Menippum philoſophum, & medicũ diſſerere poſſe arbitror, nam ipſe omnium generum uini differẽtias,

naturamq; ſcitè facileq; explicabit, ipſe enim optimo intelliget uino, & conuiuiorum regum maximus eſt frequentator, & ſemper in aulis regũ aliorumq; principum uerſatur, apud quos prãdet, laute, atque cœnat. Ro. ubi nam eſt Menippus? Cleob. domi ſuæ. Rot. qui ſcis? Cleob. mihi pauloante ſtatius eius libertus dixit. Ro. mittamus ad eum Polydorum noſtrum eumq; rogitet ut huc ueniat. Cleob. Noli Rota amiciſsime iſtec in animum inducere tuum, non eſt tempus opportunum ut ſenex Menippus ad nos ueniat. Ro. Quid igitur agendum eſt? Cleob. Ad eum accedamus, ad quem ſolent doctiſsimi uiri frequensſitime ire. Ro. Pol recte dicis, hoc mihi in animo eſt, & id agam quod iubes. Cleob. excitemus tamẽ prius Caliſtum dormientem, ut nobiſcũ ueniat. Ro. Bene inquis. Cleob. O Caliſte o Caliſte ſurge; Cali. Heu o à ſomno expergiſcor dulci o Cleobule nunquid ſomnum Epimenidis dormiui? Cleo. nequaquã. Cal. Vbi nã eſt Rota dulciſsimus hoſpes noſter? Cleob. nunquã fuiſti ei magis propinquus, meo adhæret lateri, nòn ne eum uides? adhuc oculos clauſos tenes ob craſſum ſoporem

Epimenides philoſophus in antro thannis dormiuit.

rem. CAL. O Rota amiciſsime quam
placide in tuo cubiculo mea lumina
ſomno ſalubri ſunt deuicta, atque clau-
ſa, nulla ſolicitudo ſomnum abrupit pla
cidum, ſed me omnino immemorem la-
borum, in molli pictoque cubili ſom-
nus dulcis reddidit. Ro. Ioui xenio gra
tes ago, qui ſomnum lætum tibi miſit,
ſole medium cæli aſcendente, ſed mi Ca
liſte interdum expedi te ocyus, & tuos
ablue oculos, quia ad Menippum philo-
ſophum ſimul ituri ſumus. CAL. Para-
tus ſum, quid tibi cum Menippo philo-
ſopho.? Ro. ſcies poſtea, modo in no
ſtris equitemus equis, & ad ædes Menip
pi abſque mora eamus. CAL. Sine mo
ra equitemus, ſed per urbem. CLEOB.
Probè inquit Caliſtus. Ro. Ita fiat, ſed
mi Cleobulæ aperte dicas mihi, ubi nam
habitat Menippus? CLEOB. In ſubur-
bano propè ædem ſacrarum uirginum,
extra portam diui Ianuarii. Ro. Eſto
dux, equita, te nos ſequemur. CLEOB.
Hinc ad Menippi ædes non multum di-
ſtat, & noſtri equi ita ſunt ueloces ut ſo
lis currus, iter magnum ædepol perrexe
rimus cito o Rota. eccum Menippum in
ſua porticu ampla ſpatiãtem ornata ſta
tuis Apollinis, Aeſculapii, Pythagoræ,
Hippo-

Hippocratis, Galeni, Platonis, Ariſtote
lis, Theophraſti, atque Nyphi ſueſſani
philoſophi, aliiſq; Iconibus illuſtrium ui
rorũ antiquiſq; tabellis ex pariis factis
lapidibus duriſque metallis. MEN. Vi-
deo Cleobulũ, Caliſtum & Rotam fami-
liares meos ad me uenientes in hac tem
peſtiua hora, non abſque cauſa huc ue-
niũt, quid rei eſſe poteſt? eos ante fores
expectemus, iam propè ſunt. CLEOB.
Salue ter Menippe. MEN. Saluus ſis ſe-
pties Cleobule, felix doctiſsime Rota
ſis, tu quoque Caliſte ſoſpes ſis. Hercle
ueſtro inopinato aduentu, in hora non
oportuna gaudeo; quid boni huc affer-
tis? quid boni in ueſtra agitur patria?
quid de annona? quare hoc tempore ca
lidiſsimo ad me ueniſtis; quid boni affer
tis? teſtor Iouẽ, has fores perpetuo uo-
bis omnibuſq; amicis, probiſq; uiris, no
cteſque, dieſq; apertas eſſe. interea ex
equis diſsilite ueſtris. quid moramini? diſ
ſilite, has modo capite ſedes. CLEOB.
Tempus Hercle ſedendi eſt, laſsi ædepol
ſumus. interea Rota mi facundiſsime
poſtquam te recreaueris, abſque mora
dicas quicquid a me audire non potui-
ſti, Menippus enim familiaris noſter nil
tibi cupientiſsimo negabit. MEN. Per

Aeſcula-

Aesculapium nil negabo,paratus ſum,di ſcupio mi Rotauates doctiſsime a te audire, quid eſt, quod pro te efficere poſſim, & mea arte medica atque philoſophia adiuuare. Ro. Quod à te audire deſidero,paucis dicã. MEN. Dicas obſecro. Ro. Quia philoſophus & medicus clinicus es, & uarias ægritudines hominũ tam ſublimis quàm infimæ fortunæ curas ut ſenex Hippocrates, atque Galenus, omnia medicamenta docens cuius philoſophia,& medicina non ſolum principes, ſed etiam uniuerſi homines indigent, tam pro tuenda ualetudine quàm pro recuperatione incolumitatis, quos tuo conſilio atque doctrina non aliter adiuuas quàm ſenex ſapientiſsimus Hippocrates, qui uniuerſam Græciam arte medica iuuit: Iccirco tum tua doctrina, tum tua comitate, omnes Illuſtres uiri merito tua utuntur amicitia, & ad ſuas aulas,conuiuiaq́; frequentius te uacant, quos uehementer oblectas, quia philoſophus & aulicus maximus es, ea enim audis atque dicis, quæ ad hominum modeſtiam pertinent, & omnia in aulis regum cũ moderatione facis, & obſcœnitas uerborum ſemper abs te abeſt, quæ hominem ſcurrã & ridiculum facit, merito

rito urbanus atque comes uocaris Menippe, & non es uti Diogenes Cynicus qui nulla comitate utebatur, ſed ut Ariſtippus palatinus es, merito igitur Cardinalis ampliſsimus Ariani te ad ſuũ inuitauit conuiuium, in quo apertis aſtris palatii atque uiridarii, tecum aliiſque cõuiuionibus epulatus eſt ſub tegmine mori arboris, te rogo ut mihi omnium uini generum naturam explices, quarum in ſympoſio ſimul cum aliis conuictoribus bibiſti, maxime cum uini rationem illuſtrare ſoleas, ut Cleophantus medicus illuſtris antiquus. MEN. Libenter explicabo ſed non breui oratione uſus es, mihi quidem ocioſo curis laxato de uini generibus differentiiſq; ſermonem facere iucundum erit, de quibus librum perutilem compoſui nõ ut Aſclepiades qui magnum uolumen ſcripſit de generibus uini, cum profeſſor rhetorices primum fuiſſet; & cum in arte dicendi minime lucraretur in artem medicam ſe conuertit, & totam medicinam ad caſum reuocauit & conuitiatam fecit, librumq; meum hactenus nemo uidit, quem ſub ſigno clauſumq; teneo, ſed propediem calcographis dabo. ſed mi Rota ſcias in cõuiuio ampliſsimi Cardinalis diuerſorum

Cleophãtus medicus anti quus de quo Pli. lib. xxiiii. cap. 16 meminit.

rum

rum generum uini generoſi me hauſiſſe cum aliis conuictoribus,qui inter conuiuia prorſus conſueuerunt,& huiuſcemodi uinum meis laudibus celebraſſe,quod me eloquentem moderate ſumptum reddidit,ædepol uinum à me,ut ab antiquis uatibus, ſummo ſolitum fuit haberi honore, magniſq; dotibus celebrari, quoniã triſtes curas ex corde pellat, animos ſtiparet,uires reparet, lætitiã afferat, ingenium acuat,merito Homerus diuinus uates dixit, ut pellant homini curas dii uina dederunt, Compulit ut uinum prudẽtem promere carmen. Dulceq; ridere atque agili ſaltare Chorea, & Odyſſeam atque Iliadem cum potus eſſet prius ſcitè ſcripſit quem Ennius poeta Rhodienſis incitatus ad bella dicẽda proſiliit,nulla enim poemata, nullasq; hiſtorias diu poſſe uiuere cenſeo, quæ ab aquæ potoribus ſcribantur,ex hoc Demetrius poeta inquit: Dulce merum muſis equus eſt in carmine uelox, ſi quis aquã potus nil bene parturiet. Et Perſæ dicebant, firmiora conſilia eſſe quæ inter uina a bene potis dantur quam quæ a ſobriis, & ieiunis; unde abſthemii ab illis reiiciebãtur a conſiliis. & Plato inuitationem uini iucundiorẽ eſſe in cõuiuiis dixit quàm quæ

Dotes uini

Homerus de laude uini.

Ennius uinoſus.

Demetrius poeta de laude uini.

Perſæ commendant uinum.

Plato in primo & ſecun-

— vini damna

do de legibus.

—

Homerus est cæcus factus nimio potu uini.

Ennius ex immoderato uino passus est articulorum morbũ.

No. homines uinolẽtos infeliciter morte applicuisse.

fieri solet sub quibusdam arbitris & magistris cõuiuiorum sobriis, quod sensim conuiuas hilariores reddat. Ro. Bene inquis Menippe, sed quare uini dãna obtices? nõne Homerus cum esset iuuenis ob uini potionem immoderatam Ithaca morbo oculorum laborauit, & in urbem Colophonem Ioniæ profectus, in eadem prorsus, suis fuit orbatus luminibus; & Ennius ex intemperiei uini usu articulorum contraxit morbum, quo consumptus est. Et Persæ populi bellicosi & temulenti, quot ruinas atque cædes passi fuerunt? & Archelaus senex ex immoderato haustu uini periit; Philostratus cum in balneis uessanus esset uino inebriatus scalarum lapsu pœnæ morte præuentus fuit. Lycidas philosophus uini potione dura paralysi affectus fuit, qua suũ obiit diem, Cleomenes Parthorum rex cum uinolẽtiam scytharum imitaretur maximam sibi acquisiuit infamiam. Gannippus Aminesque fratres Syracusani uinolenti pro indignum facinus suas fœdarunt filias, Antiochus Syriæ Rex ordine quartus cognomẽto magnus uinolentia totam dormiebat diem naturalẽ, suarum penitus rerũ oblitus, suis solebat dicere amicis priusquam biberet, o amici,

amici,mihi bibendum uidetur,nam cum animum uinũ attigerit, dolores quidem ſedabit, ueluti mandragora homines in ſomnum conuertit & ueluti oleum in flammas igneas ſe uertit,Holofernes Capadociæ rex à Iuditta puella pulcherrima uiduaq́; atque ſeruatrice pudicitiæ ſanctæ,ſuo pugione,ſomno uinoq́; ſopitus, occiſus eſt. Alexander Macedoniæ rex immoderato uini hauſtu, iraque motus in conuiuio Clytum amicum ſe non innoxiũ a ſatellite capto inter conuiuas ei aſſentiẽtes trucidauit, duosq́; dies naturales dormiebat, propterea cenſura examinatiſsima, Antrocides philoſophus Alexandro dicebat, uinum potaturus,Rex memẽto te ſanguinem terræ bibere, ſicuti cicuta homini uenenum eſt, ita uinum cicutæ, uide inquit Alexander quanta uis uini, ut uenenum ueneno ſit; Philippus Alexandri regis pater uini bibax fuit, ac natura furioſus,ac intra pericula temerarius, & ob uinolentiam, facile ſui obliuiſcebatur officii, regiæq́; dignitatis. Cicero Marci Tullii filius,adeo Philenus fuit, qui duos uini congios ſimul bibere ſolebat & temulentus, Marcum Agrippam patera percuſsit. Domitius Apher ob uini potũ immoderatũ,

Cicero quarta quæſtion. Tuſcu. meminit de Alexandro,& Seneca epiſto.38 ad Luciliam Plin. libr. 14 cap.5.

C 2 in cœ-

in cœna periit, Philoxenus adeo uinolentus fuit ut sibi collū gruis optauerit putans cum biberet maiorem se accepturum uoluptatem, Andibūtus Anglorum rex, quodā in sympofio dum largius uinum sumeret repēte animam efflauit, Elpenor uino plenus cum pedibus insistere non ualeret scalarum lapsu exanimatus est, Archelaus philosophus ex immodico potu uini periit, uehementer à philosophia obiurgatus, Lycidas philosophus ex nimio uini haustu paralysi affectus, mortuus decefsit, Myrtale mulier temulenta mero folia lauri miscebat ne uinū speraret, unde Martialis poeta Hispanus ait, Multo solet fœtore uino Myrtale plerisq;, Sed ut nos fallat deuorat folia lauri. accusat quoq; Martialis Fescenniam impudentia, quæ ne uinum oleret, odores deuorabat, Ne grauis hesterno fragres fescennia uino, Pastillos Cosmi luxuriosa uoras; quam Iuuenalis Satyro philosophus notauit quia dū Bonæ deæ sacrificaret quot annis in domo pontificis pro salute populi Romani, liberalius, Falernum uinum bibebat, Prò populo faciens quātum Laufella bibebat, Lysander dux Lacedemoniorum uino deditus suam audiuit infamiam, cuius egregias
uirtutes

uirtutes uinum obſcurauit; Antigonus Rex adeo uinolentiæ deditus fuit, quòd ſuum regnum Ariſtoni Themiſoniq; fratribus Aegyptiis adminiſtrandum cõceſſit,& cum bellum cntra Romanos ſumpſiſſet captus amore puellæ Calcidenſis cum iam pugnaturus eſſet, nuptias celebrauit, hyemeq́; tota cum ea uino Veneriq́; pariter indulſit, ex quo uictus à Romanis Euphesum aufugit. Cleomenes Lacedæmonius ob ebrietatem ſeipſum necauit, Hipparinus Dionyſii filius tirãnus ob uinolentiam fuit iugulatus,Loth ebrius cum ſuis concubuit filiabus,Noe uino inebriatus fuit , Anacreon poeta Baccho deditus cui cum liberalius indulgeret,uno atimo ſubito fuit ſuffocatus, Cato minor cũ operam compotionibus &comeſſationibus cũ ſuis amicis daret, totam noctem ad aurorã uſque,licet uirtute clarus atque excellens eſſet, à Cæſare propter uitium ebrietatis ignominia fuit notatus , Polyphemus cyclops in æthna altiſsimo mõte Siciliæ,hauſto largius uino,dum in profundum concidiſſet ſomnum, ab Vlyxe fuit obcæcatus, Aurelianus de Bonoſio Imperatore dicere ſolebat , Bonoſius Imperator natus eſt, ut bibat & non ut uiuat,Marcus An-

tonius ob turpem uitam atq; uinolentiā
bonis honestisq; ciuibus odio fuit: sem-
per enim inter scorta, mimos, atque alea
tores uersabatur, totamq; diem uino lu-
xuq; plenus dormiebat, Claudius Tibor
nes Nero fuit nominatus, a ioculatori-
bus ob uinolentiam, Claudius Biberius
mero, Nysæus tyrānus Syracusanus post-
quam ab Auruspicibus breui se moritu-
rum didicit, reliquū uitæ quod superfuit
comessationibus & ebrietatibus impen-
dit, qui legibus sacris puniendus erat ob
temulentiæ uitium, nā sobrietas princi-
pi conuenit, atque illis qui serio reipu-
blicæ curam gerunt; aliarumq; rerum ge
rendarum; in rebus quidem agendis ui-
giliis, breuiq; somno opus est; Sicuti tu
Menippe optime scis, qui in omnibus
doctrinis es præstantissimus; qui libera-
lius potare solent, haud iusta requirunt,
quia tumultuosi fiunt, Hercle uinolentia
hominies in beluas conuertit sæpenume
ro, nam multis armatur capitibus, hinc
enim fornicatio, hinc ira, hinc mollicies,
hinc turpes oriuntur amores, hinc ocu-
lorum caligo, aurium surditas & penè
omnium infirmitatum alumna perhibe-
tur; iure igitur Solon sapientissimus sa-
crarumque legum lator suis sanxit legi-
bus

Vinolentia n beluas homines cōuer it.

Lex Soloni.

bus Principem morte mulctandum, si uinolentus deprehēdatur, & diuus Paulus damnat sacerdotes uinolētos, quos lex uetus diui Ioannis Baptistæ imitatione, à uino & sycera abstinere perhibet, Timotheo autem gratia imbecillitatis uentriculi præcepit ut modico uteretur uino, Iure ergo ebrietatem aliaq́, uitia punienda esse lege sancitum fuit; sunt quidem uitia & uirtutes in potestate hominis ut eas sequantur siue fugiant, ut scite cecinit Propertius, uino forma perit, uino corrūpitur ætas, uino sæpe suum nescit amica uirum, merito laudatur Romulus primus Romanorum Rex, qui magnam curam temperātiæ potus habuit, & ad cœnam uocatus non multum bibebat, quia postridie habebat negotium, legemq́; tulit, ut qui uini sumpti insania debaccharentur, morte plecterentur, & mulieres temulentæ necis supplicium paterentur, uiuebant eo tempore absthemii uiri, absthemiæq́; mulieres, o utinam fons clitorius arcadiæ illas abluerit regiones, quæ homines bibacisſimos procreat, certe quæ sitim de fonte clitorio lauat, uinum fugit. unde Ouidius ait,

Clitorio quicūq; sitim de fonte lauauit,
Vina fugit gaudetque meris absthemius undis.

D. Paulus.

Propertius.

Laus Romuli Ro. Rex.

Fons Clitorius.

Oui.

Laus Anach. undis, Iure laudatur Anacharses philoso phus, qui semper aquæ potu usus est, & & Masinissa Numidarum rex, iure commendatur, qui ob cibi & potus temperantiam, centum uixit annis absque morbi querela. Pompeius magnus, Cyrusq; senior, ambo uiri illustres temperatissimi fuerunt qui consilium probati medici Hippocratis fuerunt sequuti, qui inquit uiuendum esse temperate. Enimuero omnes qui crapulæ uentriq; student, nunquam bene ualent nec longeui esse possunt, quia ebrietas eos sepelit, Propterea ciuitatum gubernatores, prouinciarum proconsules, exercituum Imperatores, Classium ductores, custodesq; artium munitarum mœniis, fossis, machinis, tormentisq; æreis flãmas igneas, pilasque ferreas in hostes rauco seu potius tonitruo sonitu facientibus, (quas suo uocabulo bombardas uocãt) & oẽs uiri magistratus gerentes à temulentia omnino abstinere debent, neque custode custos indigeat, per Iouem ex immodico meri potu, ex cõstituto cerebrum & hepar uitiantur, nerui fiũt imbecilliores; unde tremor, conuulsio, paralysis, epilepsia, apoplexia, aliaq; morborum genera oriãtur; sicuti Menippe peroptime

Regis Masi.

Pompeius & Cyrus senio. tẽperatissimi

Hippocr. sen tentia.

Magistratus.

Gubernatores quales.

Copia uini diuersos cau sat effectus.

me noris,qui Galeni artem exerces; nõ ne Bacchus furens,manus centaurorum eorumq; Hely, dicis, ad arma mouit? & Lacedæmonios, Thraces, Deonos, Lydos, Parthos, Indos, Argiuos, Tyrinthios, Phigalenses, Scythas, Gallos, aliosq; innumeros populos suis muneribus,officiisq; prorsus perdidit,uti ait diuinus Plato,quia uini potores immoderati fuerunt, de quibus longiorẽ sermonem nõ faciam, ne te molestia afficiam, hæc omnia diffusius tibi dixi, quia uinũ miris extollis laudibus. MEN. Sapiẽter Rota loquutus es, gaudeo te historiarũ admodum esse studiosum,nullũ me Hercle defamasti uirum, doctrinam optimã Socratis bene didicisti,qui suos auditores pios atq; moderatos efficiebat, Ceu Xenocratis Polenium iuuenẽ Atheniensem ab intemperantia ad temperantiam reuocauit, Socrates quidẽ uir iustus erga omnes mortales semper fuit, & a delphico oraculo prolatus, quod dixit nullum hominem iustiorem liberaliorẽ ac sapientiorem Socrate fuisse, sed mi Rota obsecro ut aduertas, iras, pugnas, amores,uoluptates,dolores,insanias,hæc & similia immoderatum uini usum concitare, moderatum uero intelligẽtiam, memo-

Populi diuersi temulenti

Plato libr. de legibus.

Xenocrates.

Quid pariat usus uini immoderatus.

memoriam opinionẽ uirium robur animumq́; ad agẽdum promptiorem, atque alacriorẽ efficere, ueluti Iouis imber leuiter irrorãs uegetiores plãtas reddit, quàm impetu descẽdẽs, haud secus uini usus, moderatus quidẽ uirtutẽ excitat, uidetur sanè mihi, aliisq́; philosophis nõ obscuris, corpora hominũ id pati quod etiam plantæ ferunt, quæ si frequentibus imbribus irrigatæ fuerint, nullo pacto se erigere possunt, neque auris perflantur, uerum si illis quãtum sufficiat habuerint alimentum, recte ac feliciter surgent, & ad fructuum maturitatem facillime producuntur, ita Pol homines afficiuntur, nã si potiones frequẽtiores hauriant, statim mens & corpora illorum ab æquitate declinant, neque respirare, nec quidquam dicere possunt, turpissima ebrietas mentes hominum labefacit, ac prorsus minuit & arcana propalat quã semper odio in cõuiuiis habui, merito Athenæ & Farentum ebrietate in Bacchanalibus carpuntur, per Iouem in cõuiuiis semper uinum bibi dilutum, & si bibẽdi certamen esset, ut in conuiuiis Germanorum, merito Aeschilus ait, æes formæ; uinum mentis speculum est, & Theognis uates dixit, igne probant homines aurum,

Certamen bibendi apud Germanos.

rum,argentumq; periti, aſt hominum uirium monſtrat aperte animum, ſcias amice dulciſsime me in ſympoſiis moderatius uti uino, licet crebro conuiuia ſequar & ſummum bonum non in uoluptatibus pono corporis, ut Ariſtippus Cyreneus poſuit, quæ tanquam paraſitus principes comitatur, quia epulis ac uino indulgebatur, & ut Bacchanalia uiuebat quem merito Diogenes canem regium appellauit. ROT. optimum ſtudium Hercule elegiſti, in ætate mobili ocioque tuo. MENIP. Scias Rota quod nimius uſus uini uitalem facultatem innatumque calorem obruit, penitusque ſummergit, habitudinem corporis tremulã reddit diuinæ atque principi animæ parti nocet, quam Græci igemonicon uocant, & qui ſe uino ingurgitãt, ſenſus obſcuros habẽt, ſed ego non me uino obruo, ut quidam medici ſcioli putant qui me apud regulos, apudque matronas defamant, cum dicerent me in principũ menſis poculis uino plenis ingurgitare, ſi ita eſſet ut maleuoli aiunt, non philoſophus, non optimus eſſem medicus, at illorum inſcitiam atque ſtultitiam derideo, nam uinum moderatè bibo, quoniam ſenes reuiuiſcere

Ariſtip. philoſophũ in uoluptatib. poſuiſſe ſummum bonũ.

Ironia utitur Ro. in Men. ſtudium.

facit,

facit, quia calorem insitum suscitat, atque augere nec non remedium contra duritiem senectutis efficit, malorumque omnium obliuionẽ præstat animosque exhilarat; per Iouem ad conuiuia rogatus, accedo & non sponte, & mensis sobrius accumbo, & citra delicias prandeo atque cœno. Ro. hæc audiui a uiris Palatinis qui te apud principes cœnãtem uiderunt, mediusfidius uitã prudenter instituisti, ut sapiẽtem decet uirum, mihi sane de uini commodis damnisque admodum satisfecisti hactenus, modo de generibus eiusque differentiis, uenuste (ut soles) ordire sermonem. Men. absque mora; Vini plura genera & infinita fuisse apud maiores nostros neminem latet, sicuti species uini diuersæ habentur, quæ non solum à diuersitate regionum, urbium, pagorum, sed agrorum à quibus proueniunt, nomina sumpserunt ita uini generum alia, alii grauiora esse nemo dubitat, & principatum inter optima uini genera uinum Pucinũ obtinet, quod græci miris laudibus pictanum appellauerunt, quod procul à Timao fonte in colle Saxeo Adriatici sinus uites generosæ tulerunt, quo Liuia Augusta octoginta duobus annis usa fuit,

Infinita uini genera.

it, nec aliud bibit uinum, Falernumque uinum secundum obtinet locum, quod Falerni agri Campaniæ duplex produxerunt flauum uidelicet & album qui agri à ponte campano leua petentibus urbana Coloniam Syluanam Capuæ cõtributam incipiebant, hæc utique regio colles habuit uitiferos, nec in nouitate nec in nimia uetustate corpori salubre erat, prima eius ætas a decimo, media à quinto decimo anno incipiebat, à uigesimo capiti & neruis noxium erat, & eius duo etiam genera, austerum cui ruffus erat color, & dulce cui color albus. Vinum Paustianum & Gauranum utrunque admodum generosum; Coecubum uinum optimum fuit, In palustibus populetis nascebatur, in Amiclano sinu, atque fun dis, Anxureq; urbibus, & satis nutriebat, unde Martialis ait, Cœcuba Fundanis generosa coquuntur ahenis, caput & uentriculum pertentabat, & in conuiuiis non multum bibebatur, Calenum uinum duplex fuluum, ac nigrum magis stomacho cõferebat quàm falernum Signinum uinum, à populis Signinis dictũ, asperum habebat saporem & uetustate melius melius fiebat, & Homerus uinũ Pramnion commendauit, quod in Smyr Martiali.

na regione, in eiuſdem agris, collibuſque uitiferis naſcebatur, & hoc merum Hippocrates medicorũ omnium facile princeps ſatis laudauit, uinum Rhegium pingue erat & utile ad bibendum celerius, uinum Prænaſmum craſſum, uinũ Maſsicum auſterum, uinum Vluanium leue, uinum Fũdanum plus iuſto alebat, uinum ſabinum omnibus lenitate proponebatur, uinum Nomentanum, nec admodum ſuaue nec leue erat, uinũ Spoletanum, flauum & croceum ſuaue, uinum Caulinum optimum, cuius ſuauitate omni præponebatur; circa Capuã urbem Campaniæ oriebatur, uinum Trebellicum, optimum quidem, & guſtui ualde gratum, quarto lapide à Neapoli; uinum Herbulum, album, nigrum & tenue, uinum Farentinum dulce & uentriculo amicum, uinum Lagarinum haud procul à Grumeſtis Europi populis gignebatur Meſſale potu & ſalubritate inſigne; uinum Aminæum, album & nigrũ, in Aminæa regione & in eminẽtibus collinis iuxta agros Falernos, atque in Trinacria originem habuit, quod uites aminææ ferebant, ob firmitatẽ ſenio proficiſcentem, longamque uini uitam uitibus aminæis principatus datus eſt, pro-

pterea

pterea Vergilius cecinit,ſunt & Amineæ
uites firmiſsima uina. Vinum græcum
antiquitus in magno fuit pretio, & eius
Cyathus,in ſympoſiis, tantum dabatur,
quod in Latio agro & campano ad mon-
tem Veſuuiũ uites ſatiuæ & urbanæ mo-
do ferunt, uinum Trebianum, & Gemi-
nianenſe unumquodq; in Hetruria gene
rabatur, uinum Chium, & Maruiſium
in Thracia ferebãtur, quæ rubra erant.
uinum Lucẽſe nigrum molliſsimumque
erat, uinum Leporinum flaui erat colo-
ris & in agro Sueſſanorũ regia olim Per-
rum & Nyphi philoſophi peripatetici
patria producebatur. uinum Pompeia
num olim Pompeii nomine ſic dictum
modo græcum,quod in monte Veſuuio
& in eius tractu naſcitur. Vinum Polli-
næum optimum in Pſyra inſula excelſa
generabatur, & nomen habet a monte
Pollinæo altiſsimo exiſtenti in hac inſu-
la,uinum Beneuentanum ab urbe Bene-
uento dictũ antiquitus generoſum erat,
& hac etiam ætate eſt, quia nulla inter-
cedit incuria coloni, & a græcis ſatis co
mendatur.uinum Polyferum fortiſsimũ
eſt & aquæ copia indiget. uinum olygo-
phorum eſt admodum leue & minime
aquam ſuffert.uinum ſetinum omni pre

ponebat Auguſtus nam ſuo guſtu id præ ſtantius aliis ſenſit, dulce quidem ſatis erat, unde Martialis inquit, Pendula pō-tinos quæ ſpectat ſetia campos, Exigua uetulos miſit ab urbe cados, uinum oe-notrium ualde tenue, forteque erat. ui-num Albanum, album & rubrum erat, unde Valerius Max. Hoc de Cæſarei mō-tis uindemia cellis miſit, uioleque ſibi monte placet, Mergentinum uinum in triquetria uites acerbo ſapore produce bant. uinum protropum Monobaſia o-ptimum ferebat, quod prius defluebat quàm uuæ pedibus comprimerentur, quod antiquitus creta inſula in regiam Italiam mittere ſolebat; uina Chia ſile-tio non dabo quæ ab antiquis thaſia uo-cabātur, in qua inſula, Enopiompatris li beri filius, uites excoluit, urbemque cō didit & in animi uino generis trāſmarini id maxime à græcis laudatum eſt, unde Tibullus; Nunc mihi fumoſos ueteres præferre falernos, conſulis & Chio ſol-uite uincla clado, Surrentinum uinum à collibus Surrentinis campaniæ dictū, ob tenuitatē & ſalubritatem conualeſcen-tibus maxime probata erant, unde Mar tialis, Surrentina bibis nec Myrrhina pu ra, nec aurum ſume, dabunt calyces hæc tibi

tibi uina suos, uinum Trizenum sterilitatem affert, & in Heria Arcadiæ id uinum prodigiosum est: nam potum, homines insanire facit, & mulieres parturire, Et apud Thasos (ut produnt) duo uini genera diuersos efficiunt effectus, unũ homini somnũ conciliat, alterum omnino fugat, & quasdam esse uites, quas Tyriacas populi appellant, quarum uua, aut uinum, contra morsum serpentum omnium prefuit, & in Arcadia uinum fœminis fœcunditatẽ affert, & uiris rabiẽ, uinũ in Achaia præcipue circa Corinthũ, abortum facit, nec non uua, cuius si racemum tantum mulieres utero gerẽtes gustarint. uinum Menedense admodũ erat generosum, propterea Hermippus philosophus dicebat, Bibebãt superi cælestia regna tenẽtes Menedeũ uinũ. uina Thessala erant suauia, uina Icaria admirabilia, In Icaro insula genita. Vinum Pramnium à Pramnio insula nomen accepit, in qua magnus est mons. Vina Phœnicia gustui ualde grata erant. Vinum Paratypianum quod ex Adriatico sinu Romam deferebatur, odorũ, tenueq; erat, & ego potum liberalius decipiebat, diuq; temulentiam seruabat, longum afferẽs soporem. Vinũ Cabillonium in Damasco

Syriæ generabatur, quod tantum Persarum reges bibere consueuerunt, ibique uineas Persæ plantauerunt. Vina Corinthia aspera erant, uina Çorsica à nomine insulæ denominantur, ualde fortia sunt, & Romam afferũtur, Vina Billina à montibus Billinis dicta Thraciæ regionis feracissimæ, quæ Siculi antiquitus uina Pollia uocarunt, quia Pollius argiuus, qui Syracusis regnauit, primus uites urbanas ad hãc detulit urbem; Vinum Rhodium turbidum ac simile dulci erat, Vinũ Netinum, à Neto urbe antiquà Siciliæ, ualde generosum est, & fului coloris, quod producitur in agris uitiferis graneriis Iorferis nec non in ualle Vassellia. Vinũ Seraphinum & Valentinum, utrunq; generosum, Hibra producit omni præstantius. Vinum Panormitanum in agris Panormi urbis Siciliæ clarissimum generatur, album leueq; est, gustuiq; satis gratũ, & simillimum uino Pictano, Vinum Vamortinum circa agros Messanæ urbis genitum maxime cõmendatur. Vinum Priuernaceum in collibus & agris Priuerni urbis Volscorum patriæ Camillæ in genere uini Italici obtinet nobilitatem, & eius quod in Hetruria gignitur in agris Liris palmã obtinet; & uini Lygurgici Genue

Ligurgicũ uinũ præcipuũ

nuæ urbis principatus datur uino Thabbiæ oppidi ubi oritur, uinum quod moſcũ odorat, dulcius omni quod bibi poſſit, uua quoque quo uinum ipſum conficitur moſcatella appellatur. & ex quoquo genere uini quod in Hiſpania gignitur, uinum Laletanũ laudatur potius copia quàm nobilitate, Vinum Carnæopeſiũ, Lauioneſium, atque Balearicum omni generoſo uino Italico comparatur, Vinum Palmeſiũ quod in agris Anconæ urbis cuiuis comparetur uino ipſum laudatur. Vinum Prætutianũ quod in mari ſuperiori in uineis prætutianis naſcitur nõ eſt poſtponendum omni optimo uino, quia uinitoris eſt magna diligentia, Maroneum uinum nomen accepit à Marone filio Euantis non eſt poſtponendum omni generoſo uino. Vinum Allobrogicum & Galliæ Narbonenſis generoſiſſimum extat & guſtui ualde gratum; Hactenus de uini generibus & ſi forte citra quæ dicta ſunt cognoſcere cupias Rota facundiſsime conſule antiquos atque iuniores rei ruſticæ ſcriptores, Ego autẽ reliqua uini genera (quæ penè infinita ſunt) commemorare nõ poſſum, quæ ab innumeris regionibus, agris, collibus, urbibus, atque pagis denominantur, ſic

omnia uini genera comprehendi nõ poſſunt quãuis Democritus dixerit ſe omnia numero comprehendiſſe. Ro. Per Iouem Menippe plura ſanè uini genera audire ſcireq; non appeto, nec amplius poſthac inquiram, à te mihi ſatisfactum eſt: nam philoſophus es uariæ multæq; lectionis ualde ſtudioſus. Men. quid igitur quæris amplius? Ro. Hoc à te quæro an in omni uini genere eadem ſit natura. Men. nequaquam, nam in eadem regione ex locorũ, agrorumq; ſitu proprietas admodũ uariatur, ſicuti eædem uites diuerſis conſitæ in agris diuerſum producunt uinum, & ſicut diuerſæ ſunt aquarum ſpecies quæ facultates diſsimiles à terris acceperunt ex quibus ubertim ſcaturiunt, ex his quædam aluminoſæ ſunt, quædam amaræ, quædã ſalſæ, quædam ſulphureæ, quædam frigidæ, quædã calidæ, quædam oculos iuuant, quædam neruos, quædã morbos antiquos & quaſi deſperatos perfecte ſanant, quædam ulceribus medẽtur, quædam partes internas potu fauent, ac ægritudines pulmonis, aliorũq; uiſcerũ leuant, quædã ſanguinem ſupprimunt, quædã lapides & arenulas generant, quædã tenuiores, quædã leues, quædã graues ſunt, quædã alũt, quædam

Democritũ dixiſſe omne genus uini cõnumeraſſe

An eadem ſit natura in omni uini genere.

Aquarum diuerſæ ſpecies.

dã transferunt absq; nulla bibentis ope, quædam haustæ afferũt fœcũditatem, ut diffusius in libro de natura aquarum diximus, in quo disputauimus cũ philosophis antiquis & maxime cũ Theophrasto, ita generũ uini diuersæ proueniunt naturæ, iuxta humorem à terra in uite decoctũ, uitis.n.ex sui natura, humorẽ ad sese ex terra sugit, propterea natura generis uini cuiusdam alteri est dissimilis, quæ partim ex gustu, partim ex effectibus iudicatur, aliquod.n.uinũ saporis est grati dulcisq;, quoddam duri, asperi, amariq; saporis, quoddam austerum, quoddam saporis insipidi & aquosi, & nõ secus in colore & substantia quàm in sapore, dissimili reperitur, & sicut uarias differẽtias saporum obtinet ita dissimiles proprietates & qualitates habet, Vinum in Arcadia fœminis fœcunditatẽ manibusq; rabiem affert, ut alias diximus, in Achaia fœtum abigit apud Thasos serpentũ ictibus medetur, & Publius Maro meminit de uitibus, quæ nascebãtur in Thaso insula maris Aegei & in Mareotide Aegypti regione, sicut Thasiæ uites & Mareotides albæ, & apud Aegyptios huiusmodi uitium uinum aluum soluit, & apud Lycios solutam aluum sistit, & aliquod est

Vini diuersæ naturæ.

Vinũ Arcadiæ prodigiosum.

Vinũ in Thaso contra serpẽtum ictus.

uinum, quod quadam ſenſibili qualitate corpus humectat, quoddam autem ſitim ac ſiccitatem inducens, aliudq́; ſitim remouens, has quidem diuerſitates non guſtus, non olfatus, nõ uiſus diſcernere poſſunt, ſed ſola experientia quæ in ipſis minime apparet, quoddam uinum mœrorem lacrymasq́ue mouet, quoddam gaudium, quoddam ſilentium, aliud dicacitatem, aliud mentis ſolitudinem efficit, quoddam uigilias, aliud ſomnum, quoddam repletionem, aliud extenuationem, quoddam morbos diuerſos, aliud ſanitatem; quæ omnia ob magnitudinẽ atque oppugnationem inter ſe admittenda uidentur. medicus ſanè cõem unã naturã in omni genere uini ex propriis principiis minime inueſtigare põt, nec cauſam reddere, ſed tãtũ phiſolophus naturalis, qui rerum ſenſibilium uniuerſas temperaturas atque cauſas qualitatum primarum perſcrutatur, medicus autẽ quo ad ſanitatem tuẽdam aut recuperandam de uini generibus conſiderat, quãdo uinum membra calfacit certe calidum indicat, & quando uentriculũ humiditate exuberantem exiccare uidet, enuntiat ſiccum eſſe natura, & quãdo corpus affectum biliosis humoribus à uino tenui humectatur,

Medicus nõ poteſt inueſtigare unam communem naturam in omni genere uini ſed philoſophus naturalis.

tur, atque frigeſcit, tale inquit uinũ eſſe natura frigidũ, & quomodo corpora frigida & ſicca ut corpora ſenum, aut melancholicorum calfacit atque humectat, inquit uinum calidum & humidum eſſe natura. Rot. doctè Menippe loqueris ut philoſophum decet peripateticum & medicũ ualde exercitatum, ſed mihi cauſas dicas, cur aliquod uinũ ſit altero magis odorum. Men. Quia uites conſitæ in calida & ſicca terra uinum odoratius ferunt, ueluti arbores fructus dulciores, ac ſuauiores producunt, dũ in huius qualitatis terra plantantur & ſi terra modico aſpergatur imbre, uirtute caliditatis quam in ſuo continet ſinu uinum odoratius procreatur, & in ea flores fructusq; odoratiores naſcuntur, quia in ea conſtitutione terræ, tenues & ſiccæ exhalationes aſcendunt; contra uero uites conſitæ in terra frigida & humida, uinũ inodorum ferunt, eadẽq; tellus fructus floresq; edit in odoros, Partim ob frigus, partim propter humorũ ſuperfluitatem, qui digeri atque concoqui à calido inſito non ualet, ſicuti in Aegypto flores in odori naſcuntur; ibi enim terra ſatis madeſcit; ob Nili inundationem, eiusque incremẽta. Ro. Menippe philoſophorum & medicorum

Problema de odore diuerſorum generum uini.

Solutio.

Nili inundatio in Aegypto.

dicorum antiſtes, per tuum Aeſculapiũ rogo, ſi te interrogãdo moleſtus ſim hodie tibi, ueniã des mihi; Cupio à te cauſas rerum abditas audire, uti Theophraſtus primum à Platone poſtea ab Ariſtotele difuſim percepit. MEN. Libenter faciam, ſed ſuperuacuum eſt me rogare, nempe de his rebus, aliisq; in quibus ambigis, facile tibi reſpondebo, & omnia quæ tibi abdita ſunt luce clarius aperiã, dicito quicquid uelis, oratio enim communis erit, ſoluere propoſitiones mihi minime eſt difficile, nam in philoſophorum ſtudiis diſputare didici (uti Carneades nullius philoſophiæ ignarus) cũ philoſophis diſputauit, & Socrates cum Parmenide ualde ſanè diſſeruit. ROT. Cur tanta ſaporum diuerſitas in quoquo genere uini reperitur? MEN. quod de ſaporibus ſentiam, aperte dicam. in hoc quæſito, in aliisq; tibi morẽ geram, attẽte audias. RO. ita faciã. MEN. Saporum genera ſunt ſeptem, uel octo. ROT. qui ſunt? dulcis, pinguis, acris, amarus, ſalſus, auſterus, & acidus, totidemq; colorũ odorumq; genera eſſe putantur, & quia fructus humidi terreique ſunt, & ſapores generantur quando humidũ à terreo ſicco patitur, & ſapores ſunt effectus

Theophraſci. primum à Plato. deinde Ariſt.

Carneades ſtoicorũ ſtudioſus.

Propoſitio de ſaporibus aquarum.

in humido aqueo à natura ſicci & terrei,facti, calido operãte cõcoquente ac cõpingente in ipſo humido,& ſicut fit odor à ſicco,qui nõ eſt ſapor, & ſecũdũ diuerſitatẽ, quæ in uitibus humidũ aqueum trahentibus reperitur, necnon etiã in aliis ſtirpibus, uarii efficiuntur ſapores, tam in generibus uini, quam pomorum, qui ſane a palato percipiuntur, qui fiunt expermiſtione ſucci cum humido, calido adiuuante, & ſapores à natura ſunt procreati ad animos nutriendos, nam neque ſiccum abſque humido, neque humidum abſque ſicco nutrire poſſunt,& hoc manifeſtum eſt omnibus philoſophis peripateticis & haud probatione opus eſt, quoniam alimentum quadã humorum permiſtione conſtat, idque animalibus oblatum, augmentum, uel decrementũ præſtat; animalia enim ſimplici elemento minime nutriuntur, igitur ſapor ex humido ac ſicco, atque calido conficitur, ſapor uero dulcis à calido temperato concoquente, humidum aqueum tenui terreo miſtum fit, nõ multum ipſum conſumendo, ac attenuando quaſi ad humidum aereum reducendo, quod eſt tenue optimeque terreo ſicco commiſcendo, unde dulcia tenuis ſunt

Saporum utilitas.

Animalia ſimplici elemento nõ nutriũtur.

ſub-

ſubſtantiæ optimiq́ue nutrimēti, & omnia ſub globo lunæ uiuentia alimētis nutriuntur, & inter ſapores locum obtinet primarium ſicut cor in homine, & ſol in uniuerſo æthere inter errātes ſtellas, ita in ambitu ſaporum, dulcis ſapor mediū continet locum, qui in uuis maturis in melle & manna quæ in oenotria & in monte Libano, aliiſq́ue regionibus ſub cane, cum dies noctesq́ue ardēt generatur, & liquida lucanis tēporibus ex aere ſuper omnes arbores cadit atq; ſuper terras lapidesq́ue, ſubitoq́ue denſatur, & ante ortum ſolis colligitur, & eſt eiuſdem generis cum rore, reliqui uero ſapores ſuapte non ſunt nutrientes, ſed cōdimenti loco admittuntur; ſapor pinguis in iis percipitur, quæ oleoſa iudicantur, & ſapor acidus in aceto, atque in iis quæ acuta, acidaq́ue natura exiſtunt percipitur. & ſapor acerbus, & ſapor acerbus in piris ſylueſtribus, in ſorbis, meſpilis, aliiſq́ue fructibus ante maturitatem deprehenditur; ſapor auſterus in quibuſdam generibus uini, ſapor ſalſus, in rebus dignoſcitur ſalſis, ut in aqua maris, in cinere, & ſale; Sapor amarus, in felle, aloe, abſinthioq́ue, guſtu atingitur; Sapor acer, in pipere,

Sapor dulcis medium continet locum.

Manna generatur ſub canis ſtellæ tēpore.

pere, zinzibere, ſinapi, aliiſque huiuſmodi dignoſci poteſt; merito igitur ſapor dulcis uniuerſis præponitur ſaporibus, quoniam omnium ſaporum ſuauiſſimus eſt naturaque ualde familiaris, caloremque humanũ paulo ſuperans: unde concoquit, maturat, rarefacit, laxatque; iure Homerus uatum antiſtes, in odyſſea de uino meminit dulci, quod Vlyſſes Polyphemo obtulit, quod bibit, admodũq; exhilaratus fuit, hoc hercle uinum ad alendum promptum eſt, & inter euchyma uinum dulce primum obtinet locum. Ro. Acute profecto locutus es de ſaporibus, ſed dicas obſecro eorum proprietates, Men. Libenter, ſapor dulcis, amarus, & acutus, ſunt in calida ſubſtantia; ſapor ſtypticus, ſiue acer, acetoſus, atque ponticus in frigida ſunt ſubſtantia. Ro. Menippe quod tu dicis ex mente philoſophorum probari poteſt, ſed non eſt neceſſarium, nã opium eſt ualde amarum, & tamẽ habet ſuperfluam frigiditatem, igitur non omnia amara ſunt in ſubſtantia calida, temperamentum enim ſimplicium rerum, non ſolum ex ſaporibus, ſed pariter ex effectibus cognoſci poteſt, ſi tantũ temperamentum guſtus cognoſceret, diceretur

Saporũ proprietates.

Non omnia amara sũt calidæ ſubſtantiæ.

retur opium eſſe ualde calidum, quod retentum in ore linguam ulcerat & grauē obtinet odorem, & tamen opium eſt natura frigidiſsimum quamuis amarum habeat ſaporem, odoremq́ue grauem, ergo temperatura rerum ſimplicium, non ſemper ex ſaporibus iudicatur ſed ex effectibus, at ego tuæ & antiquorum non contradico opinioni. MEN. Bene dictiſsime Rota inquis, & ſic eſt. RO. Sequere Menippe narrationem aliorū ſaporum. MEN. fiat, ſapor inſipidus eſt in ſubſtantia aquea tamen non apparet, ſicut album oui inſipidum. RO. Vellem Menippe abs te audire, quomodo ſapor generatur amarus. MEN. mihi placet cauſam & rationem dare, ſemper amarum generatur, quando calidū intenſum magis humidum ipſum conſumit, atque attenuat, propterea amara ſunt uſta, calida & ſicca, nanque terreſtria & amaritudo ſiccitati caliditatiq́ue attribuitur, unde ualde ſalſa peſsimi sūt nutrimenti, & ſanguinem terreſtrem generant, nigramq́ue augent bilem & quāto magis ſapores medii amaro appropinquant, tanto minus alunt, quia ex calore comburenti humidum alimēti conſumitur, contra uero ſi dulci appropinquent

Opium frigidiſsimum & amarum.

quent probe nutriunt,nam uita à calido conſeruatur, & humido bene cõcocto, quod in dulci inuenitur ſapore. Ro. Nunquid ſapor amarus nutriat? Men. Parum nutrit ſed non ob naturam a mari ſed ob naturam alterius ſibi miſti. Ro. Quare pure amarũ nõ putreſcit. Men. Quia eſt craſſæ, grauis & ſiccæ ſubſtãtiæ ideo prohibet putrefactionem, ut myrrha,& aloe. Ro. Scite loqueris Menippe, ſed mihi non inutilis dubitatio occurrit, quæ talis eſt, ſi dulci ſapore nutrimur, quare alii ſapores condientes, ut ſalſus, & acutus epulis miniſtrantur uariis? Men. Hæc eſt ratio, ne natura uelocius æquo alimentum traheret, nam dulce admodum alit, atque ſupernatat, propterea ſapores iſti miſcentur. Ro. Acute problema noſtrum à te ſolutũ eſt, hactenus de ſaporibus, doctè enim copioſe omnia mihi abdita expoſuiſti, ſed interea de colorum differẽtiis, rogo ut aliquid mihi explices. Men. Libẽter Rota mi agam. Rot. Quàmprimum. Men. Abſque mora, arrige aures. Ro. Attente auſculto. Men. Generum uini differentiæ ſunt in colore poſitæ, quatenus uinum album, pallidum, fuluum, flauum, rubrum, atque nigrũ, appellamus, ſicuti

Dubitatio de amaris an sẽper nutriant.

Reſponſio.

Dubitatio de odorũ genere.

ſicuti in ſapore dulce, auſterũ, acre atq; acidũ, & in odore ſunt iucundo, ſunt graui, ſunt nullo odore, & in ſubſtantia aut ſunt craſſa, aut tenuia, & in uiribus, aut eſt uinum potens, aut debile, & id quod eſt ex tenui & aquea ſubſtãtia urinã ciet & parum nutrit, uinum autem rubrum & craſſum alimentum præſtat, pro ratione craſſamenti præſertim id quod dulce eſt; flauum uero & fuluum uinum, medio cri dulcedine bene alit, ceu antiquum Falernum, quod Græci Falerinon uocant, & id nec in nouitate, nec in nimia uetuſtate corpori ſalubre erat, & prima eius ætas incipiebat à decimo anno, media à quintodecimo, à uigeſimo anno capiti & neruis noxium erat, & duo erant eius genera auſterum cui ruffus erat color & dulce cui color niger, & ſimili uino ſtatino. Ro. Quia de coloribus ad unguem ſermonem perfeciſti; modo dicas ſi ſpecies odorum, cum ſaporũ ſpecierum habeant cõuenientiam, & quomodo odores generantur. Men. quandam ſimilitudinem proportionis habent, & ſimilibus appellantur nominibus ut odor dulcis, amarus, pinguis, ſalſus, acer, auſterus, acerbus, acidus, & ſicut ſapores amari non attingũtur guſtu, ita putridos odores

Dubitatio de coloribus uini.

res nemo olfacit,& odores eorum compositionis temperamentũ certum ut sapores nõ manifestant., & odores nõ sunt uapores,neque exhalationes,ut dicebat Heraclitus;qui ex humido innato & sicco terrestri calore moderate operãti generatur,& sic uinum quod optimum saporem, odoremq́;similem habet, optime nutrit; quia odores sequuntur sapores. Ro. satis est de odoribus dictum; redeamus ad uini genera; Qui nam homines haurire debent uinũ dulce? Men. qui dolore laborãt nullo. Ro. Qui de renibus, liene, atque hepate queruntur, quo nanq: uini genere uti debẽt? Men. Albis,& tenuibus. Rot. Cur?. Meni. Quia in uenis illorum humor crassus ac frigidus existit. Ro. Quod nam uinum pituitosi bibere debent?. Men. Dulce, flauumq́;, quod calefacit bonosq́; succos generans; pituosis nempe temperatura frigida & humida est,quæ non modico indiget calore. Ro. Quod nam uinum dandum erit biliosis? Men. Austerum,quia eos refrigerari oportet,idque uinum sub æstu atque multis laboribus, in regione calida cæli,statu calido,biliosi commode bibere possunt. Ro. Melãcholicis quod nam eis cõuenit uinum bibere?

Herac.error.

Vinũ dulce bibãt qui nullũ patiuntur affectum.

Quibus sit dandum uinũ album.

Pituosis q̃ uinum sũmini strandum.

Melãcholi

bibere? MEN. Dulce,flauũ,odorumq́;, quale eſt aruiſium, lesbium, apianum, & huiuſmodi,& ſecũdum temperaturas hominum diuerſas, diuerſum eſt eis dãdum uinum, quod ſpecie differẽtiaq́; alterum ab altero differat,ſicuti uinum ualde uetus pauci exiſtit nutrimenti, & eſt ex tertio ordine calefacientium, & ſiccãtium, & uim habet medicamenti,quando uero non eſt admodum uetus,uim obtinet alimenti, & calida & humida eſt temperatura,& naturæ humanæ maxime eſt familiare, & ex alimentis nulli præſtantia facultatis atq; bonitatis cedit, & uniuerſum corporis ambitum calidiorem humidioremq́ueefficit, celerrimeque nutrit, uiresq́; citiſsime reficit imminutumq́; exauget calorem, ſomnum cõciliat, flatus diſcutit,facultates uẽtriculi, omniumq́; uiſcerum, fortiores reddit. Ro. nunquid uinum bibẽdum ſit nouum? MEN. nequaquam. Ro. Cur? MEN. Quia uinum nouum hepar obſtruit,atque diſſenteriam hepaticam ducit humoresq́; accendit,uentremq́; ſoluit, flatus generat, quia nõdum defecatum eſt,neque deferbuerit. Ro. Menippe ſine fuco loquor; merito à uiris doctis princeps medicorũ uocaris,nã ea quæ dicis ratione conſtant,

Vinum celerrime nutrit.

Dubitatio de uino nouo.

Solutio.

ſtant, propterea te conſulo, ceu Apollinem, cum mea temperatura termini me lateat, dicas obſecro, quod nam mihi bibendum ſit uinum. MENIP. Quod in ſubſtantia ſit tenue, & colore flauũ, nam uinum uinoſum tibi bibere non licet, quia caput tentat, & mentem labefacit, neruos implet, fluxiones concitat, facultates uniuerſas corporis diſſoluit. unde merito Gale. medicorũ dux inquit, uinoſum uinũ frigidos cauſat morbos; ex hoc quàm plurimi homines apoplexia uel comitiali morbo correpti ſunt, aut noxã motus ſenſus ſubierunt, quia ex ebrietate refrigerati ſunt, nam uinum nõ ſemper calefacit, ſicut oleum non ſemper flãmam accendit, licet ſit aptiſsimum ignis alimentum, immo ſi inebriatæ flammæ olei magnam quãtitatem infundas, eam prorſus ſuffocabis, & omnino extingues, haud ſecus uinum operatur, quando plus bibitur, quàm uinci poſsit tantum procul eſt, ut animal calfaciat, ut quoque uitia admodũ frigida generet; nempe apoplexia, epilepſia, paraplegia, cari, comata, neruorũ reſolutio, cõuulſio, tetanus, immoderatam uini potionem comitantur, ſed ex accidente, ut hos effectus uinum intemperate ſumptũ procreat, ubi

Men. Rot. admonet quo uino uti debeat.

Galenus dux medicorum.

Vinum non ſemper calfacit.

Morbi qui ex uino immoderate ſũpto oriuntur.

uero temperatum ingeritur, innatum auget calorem, quia citiſsimum in ſanguinem mutatur & alimentum nobis ualde eſt familiare. Ro. Per Iouem Menippe ſatis ſatisq; tibi deuinctus ſum, quia uirtutes & uitia uini omnis generis mihi aperte explicas, & hoc tuũ ſtudium multifaciendum eſt, quoniam uera atque utilia doces; philoſophia certe te uirũ grauem facit, & non ridiculũ, maximaq; autoritate dignum, qui cum philoſophis & medicis, in aulis principum, atque in ſtudiis publicis frequentius diſputas, palmamq; reportas; ceu ab olimpica uiatoria; Igitur Menippe amiciſsime prompte enarra, & ne te pigeat meis dubitationibus reſpondere. Men. Interroga, paratus ſum. Ro. Cur germani omniũ bibaciſsimi, qui compotiones atque cõuiuia, garritu, clamore, cantu, atque ſaltatione celebrant, non ita facile in eos incurrũt effectus? licet frequenter inebriẽtur. Men. Ob id ſanè eſt, quia corpora robuſtiora habent, & magnæ potioni uini aſſueti ſunt, propterea paruam ſentiũt læſionem, ex longo enim tempore cõſueta minus alterare ſolent, ut inquit Hipcrates in ſuis ſententiis. Ro. Hercle nil diſcutiendum, ſoluendumq; philoſophis atq;

Problema. Cur Germã bibaciſsimi omniũ apoplexiam non incurrunt.

Hippocrates in Aphor.

atq; medicis relinquis; oẽs enim propo sitiones non aliter soluis quàm Aristote les philosophorum magister. MEN. Fa cundissimè & lepidissimè Rota me tuis ad cælum laudibus tollis. RO. Sine colore loquor, adulari nescio; adulatio prorsus uiris bonis non congruit, neque amicis precipuè; adulator quidem Chamælæonti similis est, tuam sane doctrinã admirantur philosophi atque medici, homines enim ab inferis ad superos reuocas, iure omnes ubiq; dicunt te esse insignem omni honore, atque æterna laude, propterea meis musis celebrare tuũ nomen laudesq; non cessabo. MEN. Gaudeo à te uate laudato cõmendari, scias semper ab adolescentia usq; ad hanc ætatem me philosophatum esse, Pisis atque Bononiæ & Nyphi decem annos audiuisse unam cum Lucio Copisio, & Simone Portio, qui Nypho peripatetico (ut Cleanthes Zenoni) succesit. RO. Merito clarus euasisti philosophus, merito principes philosophi te cõmendant, qui pauci sunt hoc tempore, & non uulgaris fama, quæ medicos sciolos, atq; garrulos, lõgis ornatis togis, atque annulatis manibus incedentes, una cũ chirotecis, unguenta odorifera, redolẽtibus, in triuiis,

Adulatio n decet amicos nec uiros probos quia Cham leonti simil adulator es

officinisq; cupediariorum satis cõmendat, nec non apud nostrates matronas atque patritios nullius scientiæ studiosos, qui & ut suam faciant perpetuo futuram memoriam, qua ipsi gaudeant; dum nõ digna à suo cerebro aliqua ædere possint in lucem, statuas sibi æneas præparãt conspiciendas, timentes ne pereat eorũ memoria cũ sonitu; me Hercle tales medicos semper odio habui, qui se iactant, atque dicunt se nullo præmio compensari posse & pro Apolline coli uolunt, sicuti Menocrates syracusanus medicus, qui Iupiter uocari uoluit, cum scriberet ad Agesilaum regem Spartæ, sed ego stultitiam talium subrideo medicorum, intra quorum manus nõ pauci ex ægrotis expirãt, & hos imperitum uulgus in plateis commendat; qui nunquam philosophati sunt, & garrulitate fabulisque loquacissimis tonsores in tonstrinis decipiunt atque seplasiarios; Iure tu Menippe inter medicos & philosophos principatũ obtines, quia medicinæ arti, uti Galenus, & philosophiæ ueluti Aristoteles inuigilasti, & nemo tuæ contradicit sententiæ, quamuis sit sophista, ut Protagoras, qui uniuersam gratiam annos plus quàm quadraginta fefellit. MENI. Sapienter

Menocrates medicus Syracusanus.

Protagoras sophista.

pienter mi Rota agis;nam medicos ignaros reprobas, & eruditos colis: ſciẽtiarum enim cultor maximus es,& hoc a te audiuiſſe plurimi facio, & quod facit ignobile uulgus ferendum eſſe,& nõ laudandum cenſeo. Ro. Semper ueritas dicenda eſt. Mfn. Nunquam mẽtitus es, iccirco tibi maxime credo, tuus ſemper ſermo homines modeſtiores reddit, me præſertim; philoſophiã enim moralem calles,uti magnus Pythagoras. Rot. O utinam ita eſſet. Men. Ita eſt,nulli quidem erudito uiro, tua prudens & moralis oratio diſplicet. Rot. Sat eſt,longa fuit noſtra digreſsio, ad reliqua ueniamus & ſummatim reſpõdeas quod mihi dicendum reſtat. Men. Tibi reſponderé nõ me piget. Ro. Nunquid podagra atque arthritide laboranti uinum dare expediat? Menip. Nullo pacto; imo oportet ægrotãtem prorſus illud dimittere uſque quo priſtinam recuperet ualetudinem; uinum quidem fluxionẽ excitat,neruorumq́; ſubſtantiam offendit, & morbum auget,propterea non cõuenit: Calore enim ſuaq́; potentia humores ad articulos trahit,tamen ob uirium imbecillitatem modetate dari poterit,ut corporis conſtitutio in habitum meliorem

Pythagoras philoſophus mora.

Podagra laboranti non eſſe dandum uinum.

pod gra

reducatur, & uinum ſit uetus medium, ſuauiter olens, quod celerrime uniuerſum nutriat corpus uireſque procreet. Ro. Id certe quod inquis, à medicis doctiſsimis Bononienſibus ac Patauinis diſputantibus Venetiis in aula ducis, alias audiui, qui tunc pedum dolore laborabat, qui neruis laborem cum aduſtione ferebat. MENIP. Id quod dico ratione conſtat. RO. Haud dubium eſt, ſed interdum dicas, nunquid pueris, & mulieribus, atque adultis, utile ſit uinum? MENIP. Nec pueris, nec adultis, nec mulieribus uinum expedire dicimus; autoritate Ariſtotelis: uinum enim ſua caliditate, atque uaporatione primũ deſtruit ſenſorium, omniaq; membra mollit humidumq; innatum in radicibus omnium membrorum conſumit, pueris quidem uinum propinare eſt adiicere ignẽ igni, quia pueri calidi & humidi ſunt temperatura; propterea Plato præcepit, ne pueri uinum guſtarẽt, uſq; ad decimum octauum annum, adultis niſi modice ſumptũ, uinum utile eſt, liberalius uero bibitum præcipites ad iram libidinemq; facit, partem rationalem animi turbidam hebetemq; reddit, mulieribus hac ratione dãdum nõ eſſe arbitror (ni fallor) ne in Venerem

Vinum nec ueris, nec mulieribus, nec adultis conuenire.

Plat. lib. de le[gi]bus.

nerem turpem prone fiãt,& ſtuprum aut adulterium cõmitant, merito ex oratione Marci Catonis mulieribus romanis uinum fuit interdictum, nam ubi mulieres uino calẽt,facile ad inconceſſam uoluptatem labuntur,& apud priſcos romanos non minori pœna mulieres afficiebantur,ſi fuiſſent depræhenſæ uinum bibiſſe, quàm ſi uel probrum uel adulteriũ commiſiſſent, pœna ſanè capitalis erat; Egnatius Metentinus coniugem baculo interemit,quia uinum è dolio bibiſſe deprehendit, & ipſe necis uxoris à Romulo fuit abſolutus,& matrona quædã Romana coacta fuit à ſuis inedia mori,quia loculos in quibus erant claues cellæ uinariæ aperuiſſet, ob id Romæ, & in uniuerſo latio, temeto mulieres abſtinebant, nam Romulus primus Romanorũ rex,uinum mulieribus interdixit. Rot. Sapienter Romani legem ſanxerũt ut fœminæ à uino abſtinerent,ut ebrietatem, libidinem omnino uetarẽt, merito quidem Salomon in ſuis adagiis dixit,ubi regnat ebrietas ibi nullum eſt ſecretũ, ſed Menippe dicas apertè ut ſoles, nunquid rectores urbium ductoresq; exercituum uinum hos deceat liberalius bibere, an ne? Men. Dico uinum bibendum eſſe

Oratio Mar. Catonis.

Egnatius Meten. quia uinum bibit.

ſed non eo modo, quo Perſæ, Armenii, Scythæ, Thraceſq; bellicoſi aliiq; populi bibaces utũtur, qui ueſtes uino profundunt, repente in ebrietatem currentes, at moderate bibendum eſt, quia ciuitatum gubernatores militiæq; duces, deliberaturi de rebus agendis temperatiſsimi eſſe debẽt, ut Maſsiniſſa Numidarum rex, qui centum uixit annos, & ut Cyrus ſenior, magnuſq; Pompeius qui temperantiæ exempla poſteris reliquerunt, ſapienter à Carthaginenſibus antiquis lex condita eſt, ut nunquam in caſtris quiſquam merum guſtaret, ſed aquã, nec ſeruis in ciuitatibus uini uſus eſſet tribuendus nec magiſtratibus, uniuerſo tempore quo magiſtratu funguntur officio, ne iudicium obliuiſcãtur, & ne cauſas filiorum & pauperum putent. ROT. Probe loqueris Menippe, legum lator non aliter reſpõdere poterat, ſed quia pauloante dixiſti mulieribus uinum eſſe interdictum, nunquid hac noſtra ætate qua mulieres libere bibunt, liceat omnibus utero gerẽtibus uinum bibere nec ne? MENIP. Vtile ſane eſt merum grauidis mulieribus in fœtura cibos abſurdos appetentibus, detur, illis, cauſa liberorum generationis. RO. Dic Menippe, quo nã uino

Maſsiniſſa Numidarum rex.

Cyrus rex Perſarum.

Mag. Pompe. uir temperatiſsimus.

Lex Cathag.

Vinum grauidis mulierib. utile.

uino laborantes dolore uētriculi uti debent, ægreq́; cibos concoquentes? Menip. Vino ſub rubro, gratia ualetudinis utantur, quod eis ſatis conuenit. Rot. Dicas mihi Menippe, quàm noſtro tempore in menſis principum, aliorumq́; diuitum ſeruatur, bibere uinum à niue uel ſalnitro refrigeratū eſt ne ſalubre? Menip. Minime, quia uinum admodum frigidum, multorum affectuum cauſa erit, quoniam cerebro, pectori, cordi, hepati, pulmoni, inteſtinis, atque ueſicæ nocet, & generat cōuulſionē, paralyſim, aſthma, lotii retentionem, arenulas, lapides, obſtructiones, hydropeſim, aliosq́; innumeros effectus, & tu amiciſsime Rota à uino ualde frigido abſtineas, ſi longā tuam uitam fore deſideras eamq́; tueri, hoc ex corde loquor, hoc tibi amicitia cōſulit, Chorus enim muſarum te lōgæuum eſſe cupit. Ro. Menippe amicorum optime, meæ uitæ ſalutisq́; amator, atq; diligentiſsimus conſultor, gratias quàm maximas tibi ago: ea enim mihi conſulis, quæ uitæ proſunt & ualde bona ſunt, & Apollo non mihi ſapientius conſuleret, merito mihi ſemper carus fuiſti, à muſis enim nunquam fuiſti alienus, propterea uates omnes te maxima complectuntur bene-

Laborantes dolore uentriculi.

Vinum à niue, & ſalnitro refrigeratum.

beneuolentia, quorum poemata ualde te oblectant, ut Homeri carmina Aristotelem, atque Platonem. MEN. Mi Rota abstine quoque ab immoderatiori uini ueteris potu, quod liberalius epotum febrem cōcitare solet. RO. Ita faciam ut consulis, sed mihi in re medica non inutilis occurrit dubitatio. MENI. Profer dubitationem. RO. Nunquid laboranti podagra, ex fluxione pituitosa uinū in morbi principio sit dandum? aut tempore intermissionis? MEN. Vinum detur paulo interuallo temporis, & sit tenue, fuluum, uetusq́;, quando uero fluxio ex sanguine uel bilis plenitudine esset, in accessione, uinum omnino auferendū est, quia humores calore & potentia sua ad articulos traheret, tempore autē intermissionis probe dilutum tutò dari poterit, & sit uinum colore rubrū liquore tenue, aut mediocre. RO. Sed dicas mihi, ante doloris articulorum intermissionem, quænam potio ægrotanti tuto administranti dari poterit? MEN. Decoctum cinnamomi ex hydromelle in hyeme, in æstate potio simplex æque cū saccharo, quia eo tēpore, uis morbi uiget. RO. Prudenter me instruis & medicorū auxilio post hac non indigebo, quia me sani-

Vinum uetus feb. cōcitat.

Dubitatio an uinum sit dā do laboranti podagra.

Solutio.

ſanitatem tueri ita aperte doces,ut Galenus Romæ & Pergami medicinã ſuos docebat familiares,cui genus humanum nimium nimiumq́ue debet cuius plurima monumenta ingenii doctiſsimi extant & abſque ſua uera doctrina, nemo arte medica eſſet celeberrimus. MENI. Ita eſt profecto ſi Galenus nõ fuiſſet ego minime eſſem medicus,neque alii medici eſſent doctiſsimi cuius doctrina ut Ariſtotelis philoſophia, gymnaſia totius orbis terrarum illuſtrat & nulla ars generi humano utilior medica eſt, & quicũq; rei medicæ ſtudioſi ſunt, indies ex libris Galeni dogmata uera atque methodica rectè curandi morbos percipiunt. RO. Ita eſt, ſed ad rẽ noſtrã redeamus; quodnam uinum dandum eſt Amphilao homini diuiti cupienti prolẽ gignere? MEN. quod petis neque utique ſilentio prætẽribo, tibiq́ue morẽgeram; Amphilocus tuus familiaris homo ditiſsimus, aliique uiri gignere proles deſiderantes uinũ nõ potent album ſed rubrum,tamen moderate,ne in temulentiam incurrant; temulenti enim in re Venerea imbelles ſunt, quorum genitura aquoſa eſt,& nõ prolifica; ut ſemen Alexandri magni, qui nullos genuit liberos; & cibis utantur optimi

Laus Galeni

Quale uinũ ſit bibendum a uolẽte prolem generare.

Temulẽti imbelles in re uenerea.

mi alimẽti, & desinẽtibus mẽsibus mulie
res,uerno tẽpore facta prius concoctio
ne,& excremẽtis tã siccis,quàm humidis
expulsis, blanda cõmuniq́; uoluptate cõ-
cumbant,& in agro naturæ, semen semi-
nẽt genitale, & si forte mares procreare
uoluerint,sinistrum alligent testẽ, quan-
tũ sufferre poterunt.ut Hippocrates me
dicorum antistes docet, & sic filios, deo
uolente , procreabũt motu solis in æthe
re existente sidereo. Ro. Per Iouẽ Me
nippe argute loqueris, nam Venus in ui-
no est uti ignis in igne, & perfecta ani-
malia non sine semine producuntur,quæ
habent motus incrementi & decremen-
ti per alimenti conuersionem in substan
tia rei animatæ. Meni. Sic est,philoso-
phia Aristotelis harum rerum peritissi-
mum te fecit. Ro. Hæc adolescens ab
Epicuro uate præceptore meo audiui,
cuius doctrinam à teneris annis sum asse
cutus,cui gratulari, honoremq́; exhibe-
re nũquã cessabo ut iuuenes Lacedæmo
nii, qui senibus longæuis assurgebant,ho
nos enim maximus senectuti Lacedæmo
ne habebatur. Men. Iure Epicurus se-
nior in sua grauescenti ætate potest glo-
riari,se sortitum te uirũ probum atque
memorẽ eius doctrinæ, & de ipso ita be-
ne

Modus gignẽdi Mas. P. fœ.

Arist. de generatiõe animalium.

Epicurus uates Marsus præcep. Rotæ.

Iuuenes Lacedæmonii senibus assurgebant.

ne merentē ut de bonis musis, sinceræq́; fidei amicum. Ro. Menippe sic agendum est. Men. Vera dicis, eademq́; per sicis, quæ uirum bonum, atque sapiētem decet, bonę quidem musæ te docuerunt, quia grandæuus Epicurus ex animo nunquam discedit tuo, qui beneuolentiam tui disertissimi uiri in ipsū expertus est, per Iouem penè sum absolutus. Rot. Menippe mi doctrina beneficio pensari nullo potest. Men. Probè inquis. Ro. Hesiodus iubet pari mensura reddere beneficium quod ab alio acceperis, uel cumulatiore si possis, quantum tādem præceptoribus impendendum est, quorum beneficiis par nulla est gratia. Menip. Ita est. Ro. Mitte quæso hunc sermonem, ad problemata redeamus nostra. Men. Rectè admones. Ro. Cur uinū est naturæ atræ bilis simile? Menip. Quia atra bilis immista existens, multifariam hominum ingenia moresq́; mutat, nam duæ naturæ scilicet calidum & frigidū maximā uim habent in temperaturis, Calidum enim & frigidum, semper excedētia, timores, desideria, aliasq́; innumeras passiones generant, ut ait princeps philosophorum Aristoteles, ita uinū immodicè sumptū passiones miras inducit iuxta

Hesiodus.

Problema cur uinum similetur atræ bili.

Arist.

iuxta diuerſas hominũ diſpoſitiones; & melancholiæ cõparatur, ex ipſo effectu, atq; flatu, qui in utrisq; apparet, oẽs quidẽ qui præditi ſunt eo habitu, ut plurimũ flatibus abũdãt, illisq; afficiũtur morbis quos flatus ciere ſolet, uinum quidem nigrum calidius atq; corpulentius quàm album eſt, in Veneris cupiditatẽ accendet, unde non inepte poetæ dixerũt Venerem Baccho iunctam eſſe, melancholici quidem magna ex parte libidine concitantur, concubitus enim flatus copia impellit, & quòd uinum flatum gignat, aperte uidetur ex eius ſpuma quã affert, præſertim quando eſt nouum, propterea uinum, & atra bilis ſimiles affectiones inducunt, à flatu quoque paſsiones oriuntur, quas medici hypochondriacas aut myrachias uocant, & per atram bilem non intelligo fecem illam craſſam & nigram ſuccorum, quæ ex cibis quotidie aſſumptus redundat, & affectus melãcholicos procreat, ut febrem quartanam, ſplenis duritiẽ, aliosq; morbos, ſed hæc mores diuerſos minime generat, ſed ea quæ naturalis eſt, & uim ſuam in conſtitutione obtinet, & quãdo ſuper excedit quantitate, & caliditate, homines reddit furentes, ut ob tenuitatem aut craſsitiẽ ſuam

Poetarũ ſententia de uenere & Baccho.

Melãcholici proni ad uenerem.

ſuam quam diuerſe recipit à calore noſtro, paſsiones parit diuerſas, ita ſimili ratione uinũ uarios inducit mores, atq; ægritudines, ſecundum hominum diuerſas temperaturas, uinum nempe bibitũ quoſdam pios facit, quoſdam iracũdos, interdum manſuetos, interdum miſericordes, & lacrymantes, unde Homerus inquit Me uictũ Baccho lacrymas effundere dicunt. & non abſque ratione hoc dixit, nam fumi ex uentriculo ad caput aſcendunt, & ſui caliditate, fluidas faciunt humiditates, quas inueniunt, & ad oculos mittunt, & in oculis lacrymãtur aliquando facit homines audaces, amentes, ſtupidos, carentes ſenſu atq; motu, & ſubita mutatione atræ bilis facta ex calido ad frigidum, plurimi ſibi mortẽ cõſciuerunt, ut multis uinolentis accidit, ex quibus melãcholicis aliquo recenſebo, ne colloquium noſtrum admodum ſit prolixum. ROT. Quam mihi gratũ erit, ſi hoc feceris, MEN. In hac re tibi ſatisfaciã. ROT. Obſecro. MEN. Lucius Syllanus gener Claudii principis, erepta ſibi Octauia, Neroniq́ue data, præ magno dolore gladio ſuo incubuit, Caius Marius iunior Põtio Telexino ſe iugulandum enſe præbuit, cum à Lucio Sylla

Homerus.

Melãcholici plurimi ſibi Mortem conſciuerunt.

la obſes eſſet, cui ſpes nulla ſalutis erat, Lucretius uates Romanus anno ætatis quadrageſimo tertio Cn.Pōpeio magno, Marco Licinio craſſo cōſulibus poculo amatorio accepto in furorem uerſus propria ſeipſum manu confodit, Publius craſſus ne in manus hoſtiū ueniret, ſeipſum interfecit, Oppia ueſtalis ſtupri accuſata, & comperta, ſibi mortem intulit, Annibal Amilcaris filius dux maximus Carthaginenſium, poſt multas uictorias contra Romanos, uictisq; ducibus, poſtremo à Scipione iuniore deuictus, & ad Antiochum fugatus, deinde ad Pruſiam Bythiniæ regē cōfugit, de cuius fide dubitans, uenenum hauſit, quod in ſuo gerebat annulo, uidebat enim Flamminium legatum à Romanis miſſum, & ſe ipſum à militibus circumſeptum, Annibal dux in tertio bello Punico à Scipione Aemilio uictus, in medias urbis flammas, ſe ſe cū filiis ſuis proiecit, Ariſtarchus grammaticus genere Alexandrinus cum hydrope laboraret ſe ipſum interfecit. Camillus quernus archipoeta patria Monopolitanus ob inopiam atque longam ægritudinem in domo meritoria ſe cultro interfecit, Cleomenes dux Lacedæmoniorum mortem uoluntariam appetiit

archipoeta

petiit

petiit, Demosthenes orator clarissimus uenenum ebibit, Empedocles philosophus & poeta Siculus Agrigentinus se se in æthnæ uoraginem coniecit, gratia animæ immortalitatis, quam affectabat, Erathostenes philosophus cum morbo torqueretur nullum inueniens remedium, inedia se peremit; Menippus philosophus Cynicus suis amissis diuitiis se laqueo suffocauit, Mithridates iunior cũ ueneno mori non potuisset auxilio Galli militis seipsum necauit, Cleanthes philosophus animarum immortalitate cognita, uitam sponte reliquit, Decabulus rex se se manu interemit sua, Anaxagoras philosophus uenenũ hausit, Arinius rex se in fluuium demisset, Dioxippus se gladio interemit, Aiax mortem sibi intulit, Iuba rex Mauritaniæ à Cæsare uictus mortem sibi cõsiuit, Labienus poeta publico decreto ũidens suos comburi libros, sibi mortem attulit, Gordonius audita morte filii uitam laqueo finiuit, Ariadne in rogum mariti sui mortui apud Thebás, se ipsam coniecit. Hyllinome mortuo Gallaritio uiro suo, gladio incubuit, Hercules doloris impatientia se ipsum combussit, Hemon iũuenis Thebanus præ amore Antigones puellæ formo-

 sissimæ

ſiſsimæ mortuæ, lacrymis ardentiq; gemitu apud tumulum ſe neci dedit, Ariadna quædã matrona patria Caietana, clauſo cubiculo, laqueo ſe ſuſpendit, Antonius quadra aurifex Aretinus ſe in ciſternam deiecit, Antonius Gaglianus mercator Florentinus ex feneſtra ſuarũ ædium infeliciter ſe præcipitẽ dedit, Philippus Strocia patritius Florẽtinus dum in carcere, duriſq; uinculis iuſſu Caroli quinti Imperatoris in urbe Florẽtia teneretur, ob impatientiam(ut aiunt)ſeipſum necauit, & quidam iuuenis Siculus Meſanenſis, iuris ciuilis profeſſor ſeipſum iugulauit; Ii oẽs innumeriq; alii qui ſibi mortẽ conſiuerunt cauſa fuit, mutatio atræ bilis ex calido in frigidum, & hoc haud latet philoſophia ſtudioſos rerumq; cauſas ſcrutantes, & haud ſecus mors uiolenta contingit quorum calor innatus refrigeratus eſt, uel ex ſuperfluo calore, uel humido redundãte, & cum odio ſeipſos haberent, uitam cum morte commutarunt, uel morbi prorſus eos perdiderũt. Valentinus Imperator in Sarmatas profectus apoplexia mortuus eſt, Paulus ſecundus, Pontifex maximus poſt cœnam cum loqueretur cũ Architecto ſuo, apopleticus repẽte obiit, Thoraxenus atque Polypha-

Nex contingit uinolentis.

Polyphagus nempe erat, Lucius Annius uerus dum iter faceret, Marco Antonio accitus, hoc itidem periit morbo, Elpenor uinolentus ſcalarum lapſu exanimatus eſt, Cambyſes ex ebrietate, in furorē motus filium confodit iaculo, & ex immodica potione uini mors contingit, quia uini caliditas calorem extinxit innatum ut modicus ignis à multo igne ac ſole extinguitur, non ſecus naturalis calor extinguitur & humidum natura inſitum, ob caliditatem uini inareſcit, extinctio enim caloris, per exiccationem humidi eſt cauſa mortis, quia uita in calido & humido fundantur, & mors uelociſsima fit, corde patienti, deinde affecto cerebro. Ro. Hactenus exempla & rationes ſatis copioſe adduxiſti, tam ex parte atræ bilis quàm ex uini potione immoderata, & cum nō minus medicina polleas quàm philoſophia, medendi methodum me doceas obſecro, in quibus nam febribus dādum ſit uinum, & in quibus febriū temporibus. Men. Libenter; quando febris mediocris opilat & uires inualidæ ſunt tunc uino utendum eſt, ſed in intermiſsione, & ſi forte febris ſit ardentiſsima, ſignis concutionis plane apparentibus, uinum dare non cōuenit, ſed aquam

In quibus ſi[t] febribus da[n]dum uini[...]

frigidam,& ea in ardente febre commode bibatur, præcipue ſi bona corporis ſit habitudine æger,& cœli ſtatus calidus ſit, atque ſiccus. ROT. acutè reſpondiſti,ſed mihi dicas,nunquid hecticis cōſumptisq́; atque melācholicis uinum ſit dandum? MEN. Dādum eſt ratione humiditatis inſitæ,quam habuit, quod non ſolum per eam cōcoquendo alterat, ſed etiam concoctum diu retinet & munus quippe medici eſt, non ſolum ægritudines præternaturales remouere,uerū etiā ſubſtantiam innatā humani corporis fouere, recreareq́;, propterea illi errāt medici,qui dicūt uinum tantūmodo,humectare calefacere & exiccare, dico quod uinum per modum alimenti calefacit,& humectat, & per modum medicamēti calefacit & exiccat. ROT. Quia omnes propoſitiones ſoluis Menippe te rogo, ut iſtud ſoluas problema, cur uinum dulce & mulſum minus inebriat,quàm aliud genus uini? MEN. Quia eſt leuius,& ſua dulcedine & humiditate aerea meatus obſtruit per quos fumi ad primum ſenſoriū aſcendere ſolent, ob id ea quæ ſunt circa caput à fumis illius minime calefiunt,quia uapores per uias clauſas ad cerebrum non aſcendūt,& ſic ebrietas non ſit

Officiū medici eſt affectus remouere & ſubſtantiam innatā fouere.

cur uinū dulce & mulſum minus inebriet,quàm aliud uinum.

fit; ſed ſcias Rota lepidiſsime, uinum dulce atque odoriferum capitisdolorem afferre & non temulentiam, ob ſuam temperaturā calidam & humidā, & ex omnibus aromaticis capitis dolor fit, quoniā odor in ſubſtantia calidæ tēperaturæ tundatur, ſicuti odor ſandalorum, roſarum, ambræ, ligni aloes, muſci, & zibeti, uel zapedionis, & his ſimilium, & omnia quæ ſunt ſatis calfacentia, ſunt cauſa grauitatis capitis calido petente ſuperiora, natura ſui. Ro. Quam doctè dubitationes Menippe enodas, & mihi dubitāti ſatisfacis, iccirco non ceſſabo in re medica id à te petere, quod mihi apertum nō eſt, & haud ſecus in philoſophia. MENI. Dic, tuis quidem dubitationibus reſpondebo. Ro. Cur quāplurimi homines uinolenti exanimati ſunt? MEN. Quia uini copia natiuam facultatem caliditate ſua ſuffocat, præſertim iis contingit, qui innatum calorem exiguum imbecillemq; habent, & illi qui caliditatem inſitam ualidam poſsident, ſatis remittuntur, ſpatioq; temporis cōcoquunt, quēadmodum flāma ignis maxima, olei maiorem infuſionem ſuffert. Ro. Si uinū natura calidum eſt ut ais, Cur temulenti in rigorem, in pleuritidem atque in alios inci-

Qūo ex reb aromaticis fit dolor capitis.

Multi homines ex uini copia perierunt.

Temulenti i rigorē in ple urit. aliosqu effectus incu runt.

incidunt affectus? qui ex neruorum pri-
miq; ſenſorii læſione proueniunt, ſicuti
eſt apoplexia, conuulſio, paralyſis, unde
Hippocratis ſententia. Hippocrates inquit, ſi ebrius quiſpiam
repente obmutuerit, cõuulſus moritur.
Proble. MEN. Iſtud problema difficile eſt, & nõ
facile ſolui poteſt, & pro ſolutione pro-
blematis, hæc in uino ſunt conſideranda,
ſubſtantia, uirtus, quantitas, qualitas, o-
dor, ſapor, tempus, ac ætas, ut uinum no
uum aut mediũ aut uetus, haud ſecus ar-
Quæ in uino conſiderãda. tificium, quo paratur, & ex parte biben-
tis uariatur, quoniam qui uinum bibit,
aut eſt ſanguineus, aut bilioſus, uel pitui
toſus, uel melancholicus, aut eſt iuuenis
uel ſenex aut alterius ætatis, aut in regio
ne habitat calida, uel in frigida, uel intẽ-
perata, uel cerebrum habet forte, atque
hepar aut non, iſta enim duo membra no
cumentum magnum ex uino recipiunt,
amplius qui in uinum ſumit, aut eſt ieiu-
nus, uel famelicus, aut cibis repletus, &
ſecundum hos modos uinum cõtrarios
miroſq; effectus generat, propterea pri-
ſci medici uinum Theriacæ magnæ com-
pararũt, quia corpora frigida intus cal fa
cit, & calida foris refrigerat, & ſicca hu
mectat, & humida exiccat; quãuis uinũ ſe
cundũ ſe potẽtia calidũ ſit, quæ in actum
educi-

educitur, & quando moderate bibitur, corpus nutritur & quando immoderate ſumitur præſertim ſi uinoſum fuerit, & facultas regitiua non poſsit caliditatem in potētia habentem in corpus etiã reducere, ut corpus ſecũdum eſſentiam calfacit, uinum quidem haud agit in corpus, niſi prius agat in ipſum, & ſic uinum actu frigidum & humidum potum ob immodicam quãtitatem extinctionem innati caloris facit, qui minime id ualet cō coquere; Iccirco rigorem & frigus procreat, quãuis ſit calidũ potentia & multifariã poteſt pleuritidem efficere, tam per uiam ebullitionis mouentis humores, quos ebullire facit, quàm per quantitatem nō paruam, uinum natura neruos replet, quia calidum eſt, & ſubintrat, præcipue cum ſubſtantiã non habuerit craſſam & ita uinum immoderate ſumptum innatum calidum infrigidat, atque extinguit, unde oritur rigor & frigus, aut tremor. ROT. optimè dubitationem ſoluiſti, ſed hoc aliud mihi aperias problema, cur ualde temulenti nimis inſaniunt quam parum uinolenti. MEN. ratio eſt hæc, illi enim qui uinolentia magna affecti ſunt tanquam epileptici & iacent ut cadauera in ſolo, parũ autem ebrii con-

Proble[ma.] Cur uald[e te]mulenti [mi]nus inſan[iunt] quàm par[um] ebrii.

uitiari possunt atque insanire, ut patet, quia à uino multum læsi non sunt, ut ualde temulenti, propter immodicum uini potum, non possunt rectum ab inrecto, atque bonum à malo discernere, neque ad appetitum & ad intelligentiam moueri; nam omnes animi facultates in uaporibus & fumis uini submersos habent, & qui parum sunt uinolenti, ob neruorum dissolutionem per quos uirtus animalis tanquam per instrumenta operatur, non recte iudicant, sed peccant. Ro. Quia facile est tibi problemata soluere dic quæso rationem cur si quispiam prius uinum austerum, deinde dulce hauserit nō inebriatur? Meni. Quia uinum dulce poros obstruit, per quos uini uapores austeri ad primum sensorium ascendere poterant, & nō permittit fumos calidos uini austeri ascendere, & sic ebrietatem prohibet, quæ nullo pacto fieri potest nisi ea quæ circa Venerem superiorē prius sint calefacta, & tale uinum ualde calidū est, licet saporem habeat austerum colorem q; fuluum, aut nigrum obtineat, & ebrietas morbus est calidus, uinum certe plus nimio haustum humectat & calfacit, & febres auget, quibus uinum quodcunq; aquosum idoneum est. Ro. Certè

[Margin: Problema. Cur si quispiam uinum austerū post bibat dulce nō inebriatur.]

[Margin: Ebrietas est affectus calidus.]

tè Menippe philosophiæ filius es,quia ne mo tam facile problemata aperit quàm tu,qui uera dicis. MENI. Desine Rota doctissime laudare tuum Menippũ, quãuis mihi non iniucundum sit à te laudari laudato uate. RO. Tua doctrina apud omnes homines tã alte quàm infime for tunæ te commendat, propterea tuis sis laudibus contentus, & sapientissimus quisq; tuum nomen ad astra fert. MEN. Hactenus de laudibus ad tua redeamus problemata. RO. Cur uinum oriente canicula in cœlis fluctuat atque mutatur? & maria feruent,& febres generantur? MEN. Oriente minori cum leone, Ingentes nascuntur calores, quia Sol eo tempore caniculam ascendens radios ac cendit suos,ita sic calorem auget,& ægri tudines quamplurimæ fiunt & uinum deprauatur, & maria feruent, quia solis calo res ingentissimi sunt, qui nobis tunc propinquus est,& terram calfacit, prorsusq; exurit, nam canicula est in medio cœli centro,& est omnium stellarum uio lentissima,& nõ illepidè Manilius inquit, Subsequitur rapido contenta canicula cursu. Qua nullum terris uiolẽtius aduenit astrum. Nec grauius cedit non horrens frigore surgit, hæc certe sita est infra

Problema. Cur uinũ oriente canicula deprauatur,febres generantur ardentes.

ſra hyemalem tropicum & arcticum ſubterraneum, qui auſtralis dicitur, ea quidem ſtella æſtus excitat, ſegetes urit. Calor enim ſolis eo tempore ſatis duplicatur, & ita langore corpora noſtra afficiuntur & calorẽ ſolis praua fient uina, in aliquibus regionibus, & hoc ſidus ſentiunt maria, terræ, atque feræ, quia magnam cauſam æſtus obtinet. Ro. Aſtronomus clariſsimus es Menipe quia de ſtellis aperte loqueris. Men. Reſtant aliqua tibi dicenda problemata. Ro. Reſtant. Meni. Dicas iam præterit hora. Ro. Cur ualde temulentis non accidit ſomnus, cum uinum calidũ & humidum ſit natura, & ſuos mittat uapores ad præcipuam partem, quæ capitis anteriorem inter duo ſupercilia locũ obtinet, in quo quidem loco ſomnus et uigilia oriri ſolent, ſomnus quidem remiſsione ſpiritus ſenſitiui fit. Menip. Problema difficile proponis & pro ipſius declaratione ſcias, ſomnum eſſe paſſionem animi & corporis cõfectam partim calido refrigerato quod in corde eſt ex cibis, atque uariis portionibus, partim halitu quodam ab eo humido quod in thorace eſt primum ſenſorium petente atque occupante, interdum ex laboribus

Problema cur ualde temulentis nõ accidit ſomnus.

Somnus eſt animi & corporis paſsio.

ribus oritur ſomnus, animalia enim mouentur & affatim laborãt, calor enim eorum naturalis ſpargitur, & quantitas diminuitur ac refrigeratur, ex hoc reuertitur ad locum ſui principii, ut ab impedimentis ſeruetur, propterea cauſatur ſomnus poſt labores, omne enim quod uigilat neceſſum eſt dormire & ut ſomnus oriatur, impoſsibile eſt ſemper agere, & humiditate quadã calida digeſtionem non difficilem recipiente opus eſt quia ex priuatiõe humiditatis uel ex pauca quantitate ipſius, uel ex indigeſtione nullo pacto fieri poteſt ſomnus, & ualde ebrii dormire nequeant, quia calidum eorum debile à calido fortiori extingui tur propterea non in ſomnum, ſed in carum, ſeu in ſtuporem incidunt. Ro. Acute problema aperuiſti, ſed hoc aliud problema, te rogo ut ſoluas. MEN. Libentiſsime Rota. Ro. Cur uinum reddit hominem uigilem? narrat Galenus medicorum antiſtes, hiſtoriam de quodam puero, qui cum magna cruciaretur ſiti, & aquam non haberet, uinum antiquum liberalius bibit, & ex reliquo tempore uigil omninò remanſit, & quia Galenus, non indicauit rationem, dicas tu illam, cum rerum cauſas, rationesq́; dicere

Problem cur uinũ redit hominẽ uigilem.

cere ſoleas, & reddere, uti magnus Ariſtoteles, quare puer ex immoderato uini potu effectus eſt uigil? MEN. hæc eſt ratio, quia humiditas quæ ſomnum inducere ſolebat fuit omnino à caliditate uini conſumpta, propterea factus eſt uigil, & deinde eũ febris inuaſit & delirio oborto periit. RO. id quod dicis oẽs philoſophi peripatetici aſſeuerant, & quia de rebus naturalibus alter es Ariſtoteles, à te audire deſidero cur melancholicos atque pituitoſos homines reddit audaces, & bilioſos furentes? MEN. Propter naturæ diuerſitatem. quia actus agentis in patiente bene diſpoſito eſt, et ſecundum naturam aut aptitudinem materiæ forma imprimitur, ſicuti ignis unus numero ſua caliditate, quædam exiccat, ut lutum, quædam humectat, ut ceram, & ſimilia, & ſicuti facies nitidæ puellarum ſolis calore nigreſcunt, panniq́; linei albeſcunt, & glacies ſolis calore diſcutitur, ſeu liqueſcit & nix in aquam uertitur, contra maris unda congelatur & ſal gignitur, non ſecus eſt uini facultas, quæ ſane uarios effectus facit, & cum uinum ſuapte natura humidum ſit, tamen non ſolum humectat, ſed exiccat, & ſic uiros melancholicos, hominesq́ue

Gal. lib. 2. de loc. affectis.

Problema cur uinũ bilioſos reddit furentes. Pituitoſos & melancholicos audaces.

que

q́; pituitoſos, tardosq́; mobiles reddit, bilioſos autem ſua caliditate magis calefacit, & ſic furentes inſanosq́; reddit. R o. Quare temulenti tremunt, eo magis quo uinum liberalius biberunt, cum uinum potentiam calfaciendi habeat, & tremor ex frigore oriatur? M e n. Tremoris cauſa nempe frigiditas & tremor ob inopiam caloris generatur & quia uinolentis calidum innatum deficit, ob immodicum uini potũ, iccirco tremor generatur, licet uinum ſit natura calidum, tamen per accidens infrigidat, ſicuti glacies per accidens calefacit, calidum ſemper excedens corrumpit & extinguit inſitum calorem, ut flamma magna, minorem. R o. quomodo gelu per accidẽs calfacit? M e n. Quia partes ſubiecti cogit, in quo calidum continetur innatum, & ita calidum collectum robur acquirit, ex quo dicitur tunc gelu per accidens calefacere. Sicut in tonitrui generatione, uapor calidus & ſiccus à frigido & humido obſeſſus comburitur & in lapidem condenſatur durum. R o. Acute problema reſoluiſti Menippe, & plane atque perſpicue, libris phyſicis, & meteorologicis Ariſtotelis inuigilaſſe uideris, & quia ſemper amicis prodeſſe

Problema cur uinolenti tremunt.

Gelu per accidens calfacit.

Generatio tonitrui.

non ceſſas ex hoc mea problemata pro ponere non deſiſtam, & abdita eruditè aperias mihi. MEN. affabiliter omnia tibi dicam, quæ in comētariis offendi philoſophorum. RO. Cur parum temulenti magis delirant, quàm multū uinolenti? MEN. Ob fumos uini uaporātes turbidos reddentes lumen animæ rationalis obſcurum, propterea parum temulenti delirant, ſed admodum uinolenti delirare non poſſunt, quia tanquā epileptica, ſeu cadauera, in terra iacent. RO. Quare uinum uino ſum parum dilutum magis inebriat quàm non dilutū? MEN. Quia aqua citius penetrare facit quando eſt tenuis ſubſtantiæ, & non aliter. RO. quomodo Menippe hoc dicis, cum tuus Galenus dicat uinum ad anguſtas partes aquam penetrare facere tu tamen aliter ſentis. MEN. Non Galeno contradico, quem autorē habeo, ſed animaduerte Rota eruditiſsime, quod in aqua duo conſiderantur, primo ſubſtantiæ ſubtilitas, quæ uinum penetrare cogit, ſecundo frigiditas, quæ dominatur atque moratur tranſire, & quando cum uino miſta fuerit, ob cauſam qualitatum contrariarum cito pertranſit præſertim quādo fuerit multæ quantitatis,

Problema Cur parum ebrii magis delirātquàm multū temulenti.

Problema Cur uinū parū lymphatū citius inebriat quàm non dilutum.

titatis, & hoc inquit Galenus magister doctissimorum medicorum, & sic uinũ facit pertransire aquam. Ro. Problema bene enodasti; sed cum omnia abdita rerum naturalium minime lateant, dicas obsecro, quare semen ebriorum est improficuum. Men. Propter frigiditatem & humiditatem non est aptum generationi, quia aquosum est, sicuti docet Aristoteles in libro de generatione animalium, & Galenus in libro de semine, & Hippocrates in libro de aere & aqua. Ro. Bene & erudite propositiones soluis quia libros philosophorũ atque illustrium medicorum noctesq; diesq; perlegisti, omnes enim non faciles propositiones claras reddis quãuis obscuræ sint. Men. Propone omnia problemata quæ soluere mihi non erit molestum. Ro. Quare lingua temulenti cespitãt? Men. Ob humiditatem uini, lingua extenditur sicuti spongia impleta aqua, & ob tumorem & crassitiem, sermonem articulatum reddere nõ potest, humiditas enim uini lacertos ipsius linguæ, quibus mouetur, molles reddit, propterea lingua suum exercere officiũ non potest, & sic oberrat, & sicuti sub aqua ob aeris absentiã homo loqui non potest,

Problema cur semẽ improficuũ est, apud ebriosos.

Aristotelis.
Galenus.
Hippocra.

Problema Curi lingua ebri balbutit.

Hō ſub aqua nō loquitur.

poteſt, ita propter nimiam humiditatē, exiſtentem in ore, & in lacertis linguæ ſermonem rectum proferre non poteſt, lingua ſane caro rara ſpongioſaq; eſt, in quam uenæ, nerui, atque lacerti facile penetrant, facileq; humiditatem patiuntur. Ro. Cur res una uinolentis interdum plures eſſe uideatur? Men. Quia tunc oculus uerſus partem inferiorem aut ſuperiorem mouetur, & ſic unū apparet duo, quia uerſus angulum maiorem aut minorē cum oculus mouetur, potentiæ uiſiuæ nullum nocumentum ferens, principia generantia uiſum, ſicuti uirtus uiſiua, cryſtallina, & ſpecies uiſibiles, ob uapores uini a ſuo recedunt naturali ſitu, & uniuerſum caput in ordine mouetur, & ſic res una uidetur eſſe plures. Ro. Luce clarius problema denodaſti. Men. ad reliqua problemata, quia iam aduesperaſcit. Ro. Cur temulentis ſolis gaudent calore? Men. Quia ſol ſui caliditate uiuifica ad cōcoquendum operatur ob id uinolenti Phœbi calore lætantur, quia indigent concoctione uini hauſti, & quia calidum innatum eorū ex immoderata copia uini effectum eſt frigidum, ex hoc cupit a ſole cale-

Problema cur una res, plures, ebriis apparet.

Problema Cur ebrii ſolis gaudēt calore.

calefieri, merito igitur temulenti solis calore gaudent, ut diximus. Ro. Cum in mensis regum asiduè prandeas atque cœnes, dicas quod uinum côueniat post esitationem persicorum pomorũ & fructuum huiusmodi? MEN. Vetus uinum atque odoriferum bibendum est, ut Cacia Persicornm emendetur, quia sunt fructus qui facile putrescũt propter magnã humiditatem quam obtinẽt. Ro. Post esitationem ficuum aliorumq; fructuum eiusdem generis nũquid uinum sit bibendum, uel aqua? MENI. Hoc genus pomorum calidum & humidum est natura, & quia parum copiæ ignis, & parum humoris, propterea excitat intus feruorẽ, sed quia humor cruditatem conuincit, uinum uinosum dicimus esse bibendum; nam sua caliditate adiuuat concoctionem, & quia feruorem habet, aqua bibatur: sua enim frigiditate, feruorem frangit, atque extinguit, igitur concludimus quod potest bibi tam aqua, quàm uinũ; sed meo iudicio post esitationem ficuũ aquam bibendam esse censeo, & non uinum, licet Aristoteles dicat tam uinum, quàm aquã bibi posse, sed Rota mi scias, super omnes fructus aquosos maliq; alimenti aptosq; putredini, prorsus uinum

Post esitationem persicorum quod uinum sit bibendum.

calidum esse bibẽdum, ut frigiditas illorum expellatur,& hoc contendit Auicenna,qui Galeni uerus est interpres,rerũq; naturæ maximus scrutator. ROT. Cur in secũda mensa, uel tertia,bellaria edenda ponũtur? MENIP. Gratia uoluptatis,& ut liberalius conuiuæ uinum bibant. ROT. Post tragemata non est bibendum uinum, Menippe, quia ea citius nõ cõcocta penetrare facit,quæ obstructiones & putredines generãt, qũo ergo hæc dicis? MEN. Licet post bellaria haud sit bibendũ, conuictores tamen gratia delectationis in conuiuiis bibũt, in quibus medicinæ ordo nullus obseruatur,in symposiis enim nõ sunt ægrotantes,& unusquisque suo indulget genio. Ro. Optimè dixisti, sed ego tecum iocatus sum. MENI. Medius fidius non mecum iocatus es;Problema enim difficile proposuisti. ROT. Hactenus ad reliqua ueniamus problemata. MEN. Absque mora dicas, mihi admodum respondere tibi gratum est. Ro. Cur quidam à uino in lacrymas, & quidam in risum effunduntur? MEN. Id sanè cõtingit non tãtum ob uini naturam,quantum ob temperaturas hominũ,quia qui uino uinoso se ingurgitant,si sanguinei fuerint, & copiam

Problema quare tragemata ponantur in secunda uel tertia mensa.

piam ſanguinis elaborati habeant, bonitate temperamenti in riſum ſoluuntur, & in uarias geſticulationes quæ uidentibus riſum mouēt, quoniam ex uino hauſto copia caloris augetur, & ſanguis cōditus in uenis agitatur, qui cum ſit benignus, & natura probè concoctus, haud mirum eſt, ſi homines in riſum promoueat, contra uero qui uinū nigrum, craſſum, turbidum feculentumq́; hauſerint, aut à natiua temperatura ſuccorum, & ſanguinis uitio tentantur, & ſanguinem ualde amarum habent, in ſe plurimū ſucci nigri cōtinentem, ii quidem in pugnam, in furorem, & in fletum ſoluuntur, quia acrimonia humoris iſthæc ſua natura efficere ſolet, ceu Marius ex nimio humore melancholico delirans, expeditiones, & prælia imaginabatur. Democritus philoſophus delirium hilarius patiens ſemper ridebat. Heraclitus philoſophus natura melancholicus & tenebricoſus, quoties domo egrediebatur, uſque plorabat, in ſenibus melācholia amentias diſsimiles gignit: & amentia Luculi mitior & hylarior fuit, quia atra bilis miſta cum copia benigni ſanguinis fuit, quia ſui bonitas lætitiam māſuetudinem, frontemq́ue ſerenam effecit.

Marius.

Democriti ſemper ridebat.

Rot. Scientiſsime Menippe his dubitationibus ſatisfacis. Meni. Noli Rota mirari quia sēper ſtudiis philoſophorũ et medicorũ inſtudui,& ab illisnũquã abeo,&quia audire te multũ me delectat ne ceſſes inquirere. Ro. Cur illuſtres philoſophi melãcholici fuerũt? Men. Quia intēti sēper ſpeculati ſunt: et melãcholici ex humore naturali effecti ſunt, & nõ ex uinoſo hũore: atra.n.bilis triplex ē,una multa pituita diluta quæ frigidos generat affectus & ingeniis minime prodeſt, altera eſt aduſta, quæ furores procreat, tertia eſt nõ uitioſa, quæ quãdo eſt ſatis copioſa,& ſanguini tēperato aptè miſcetur facit impetus ualde acres, ardentes, tenaces, & is ſanguis melancholicus admodum halituoſus eſt,& ſpũs multos gignit,& in eo motus ualde durabiles fiũt, hanc melancholiã philoſophi, poetæ, & Archimedes Syracuſanus, Geometriæ & machinalis aſtrorũq; ſcientiæ cõſultiſsimus, paſsi ſunt; quæ ingeniis heroicis admodũ eſt utilis, quã Saturni & Iouis coniunctio efficit. Ro. Acutè mea problemata ſoluis, per Iouem nõ minus philoſophus quàm aſtronomus mihi uideris, aſtrorũ.n.acutiſſimus perſcrutator es; ſatis dictũ eſt, ad uini tēperaturas redeamus

Problema Cur philoſophi fuerunt melãcholici.

Atra bilis triplex

Archimedes.

Saturni & Iouis coniũctio facit homines ingenioſos.

mus

mus, dic Menippe, uinum ualde uetus, in quorum ordine calefacientiũ eſt? MEN. Externo eſt ordine. RO. quando aũt nõ eſt ualde antiquũ? MEN. Ex ſecũdo eſt ordine, & caliditati eius ſiccitas proportione reſpõdet. RO. Muſtũ in quonam ordine calefaciẽtium eſt? MEN. Ex primo ordine caliditatis. RO. Te Menippe obſecro pro tuenda ſanitate, ut uini facultates breuiter explices, ut memoria tenere poſsim. MEN. Libenter, ſed pauloante ſatis dixi. RO. Alias mihi dicas quæſo. MEN. Vinũ moderate epotum humores cõcoquit ſemicrudos, flatus diſcutit, ſudorẽ, lotiumq́; prouocat, ſomnum conciliat, & fomes ingenii eſt. RO. Nũquid loco medicinæ uino uti cõtingat? MEN. Licet contra uenena præſertim frigida maximũ auxilium affert, ſi potetur liberalius, ut contra aconita, taxum, ſpumã argenti, coriãdrum, atq; boletos, quinetiã cõtra morſum ſerpentiũ, & cicutã ſumptã, & ob ſui caliditatẽ ut medicamẽto uti poſsimus, au&oreDioſ. RO. Cur uinum ſui natura calidum, actu tamẽ frigidũ percipitur? MEN. Calida bifariã cõſiderantur, quædã per ſe, quædã per accidens, alia uero actu, alia uero calida potẽtia, calida uero actu, ut ẽ ignis,

Vinum ualde uetus in quorũ ordine calefacientium.

Vinum contra uenena.

Dioſcorides

Cur uinũ natura calidum actu frigidum percipitur.

qui semper urit, calida uero per accidés, ut est aqua calida, quæ per accidens calfacit, & similiter uinũ, caliditatẽ acquirit extraneã, secũdũ Arist. doctr. quã per maturationem in uuis nanciscitur, & per innatũ uitis atq; solis calorẽ. Ro. Menippe per Iouẽ philosophus nõ tenebricosus es, tuas sententias absq; sudore intelligo. Men. Sẽper obscura conatus sum clara reddere, sunt quidã philosophi & medici hac nostra ætate qui uix intelligi possunt, quos nemo legit. Rot. Tu Menippe luce clarius scribis, & loqueris atque ueteres autores interpretaris, & scis omniũ rerum dare causas, & rõnes. Men. Satis me cõmendas, me ipsum cognosco. Ro. Maiori laude dignus es, sed obsecro ut hoc soluas problema, cur uinũ congelatur. Men. Quia ex humida constat substantia, nã coagulatio, uel sit à frigido, uel à calido, uel à sicco, & quando uinũ est recẽs, plus habet terræ, quàm quando est uetus, ideo magis gelascit quàm antiquũ, & in omnibus regionibus frigidis, maximis frigoribus gelatur, Scythæ quidem populi ruptis doliis, uinum securibus excidunt. Ro. Probè Menippe librum Aristot. de mistis perlegisti, quia facile respondes. Men. Oẽs

Problema [C]ur uinũ cõ[g]elatur.

Aristoteles [d]e mistis li-[br]o.

libi

libri Arist.semper à me leguntur. Ro. Prudẽter facis propterea es clarus philosophus,& non tẽpus in rebus uanis cõsumis,sed in philosophia. Men. Probè loqueris Rota amicissime, ædepol omne tempus quod mihi à Ioue dabitur,in philosophia consumere decreui.quia nõ auri sed sapientiæ sum cupidus, quãuis aurũ sit utile,sed magis quàm aurum philosophia prodest ciuitatibus, licet nudã & pauperẽ ignobile uulgus incedere philosophiã dicat. Ro. Sapiẽter facis, sed ad nostras reuertamur propositiones; Menippe quæso ut dicas,quod nam uinũ sit illis dãdum,quibus animi defectus periculum immineat? Men. Quod non fuerit crassum,neque albũ aquosum, sed flauũ & calidũ,& album & non aquosum, ueluti uinum Fyburtinum,Marsum,Sabinum, Signinum, Syracusanum, & Panormitanum,atq; Creticum, quod uulgo dicitur Maluasia,necnon uinum optimũ,& Faustinum,& Prætropum. Ro. Menippe qũo dicis uinum album esse calidũ? cum Gale. dicat nullum uinũ album esse calidum,tu uero aliter sentis, & Galeno contradicis. Men. Non cõtradico sententiæ Galeni, qui non absq; rõne loquitur,cum sermonẽ facit de albo uino,in-
 telligit

telligit uinũ albũ tenue, & aquosũ & nõ albũ et crassum, sicuti uinũ Oenotriũ, Siculũ & huiusmodi, quod crassum est quodãmodo & non tenue, uinum quidẽ albũ & crassum est calidum & nutrit, licet minus nutriat quàm uinum nigrũ & rubrũ crassum. Ro. Satis respondes, & Galeni mentẽ aperis. Men. Galenus à philosophis est intelligendus & non à sophistis. Ro. Rectè dicis, merito elogiũ Antonini philosophi Imperatoris, solũ Gale. philosophum & medicum iudicauit, sed alias de laudibus Galeni erit sermo, interdum oẽs meas dubitationes soluere digneris. Men. Libẽter. Ro. Nunquid uinum tẽpus cõcoctionis præfinitũ habet? Men. minime, secũdum uini naturã & crasim bibentis, tardius aut citius cõcoquitur, ut cibus. Ro. nunquid ante cibũ uinũ sit bibendum? ut instituit Tiberius Claudius princeps, qui homines ieiunos merum bibere & uini potus antecedere cibos uoluit. Men. Nullo pacto uinũ ante cibum bibendũ est, quia podagrã generare potest, & substantiam neruorũ pròptissime offendere, & actus immoderatos Veneris. Ro. Si quisquã, alui profluuium uel sanguinis flexionẽ, uel aliquã euacuationem passus sit, nunquid

Tiberius claudius princeps.

quid

quid ieiunus uinũ ſumere debet? MEN. Neutiquã, niſi prius cibum ſumpſerit aliter cõuulſionẽ, & deliria ſequentur. RO. Quare Macrobius uini temperaturã frigidam exiſtimauit? MEN. Propter effectus frigidos ebriorum, quos uinũ procreat, ſcilicet apoplexiam, paralyſim, tremores, alioſq; morbos his ſimiles, cum re uera uinum calidum, & humidũ natura ſit, iccirco Macrob. uir doctiſsimus ſic excogitauit, quinetiã ob ſomnum adducentẽ teſtimonium frigoris, tum etiã ob ſemen eorum exile, & in idoneã generationi, uinolenti certè ad Venerem pigriores ſunt, & operã liberis dare nõ poſſunt, tremunt atq; langnẽt. RO. Cur homines hac noſtra tempeſtate, magis podagra laborãt, quã priſcis ſeculis? MEN. Ob nimiã crapulã, uſumq; uini ĩmoderatũ, priſci quidẽ mortales regimen uictus & potus tẽperate ſeruabãt, & ſuccos uitiatos haud gignebãt, nec deſidiis utebãtur, iccirco pauci à podagra corripi uidebãtur. RO. Quod nã uinũ pro tuẽda ualetudine ſenib. aptũ ſit. MEN. Flauũ uinũ tẽperaturis frigidis admodũ utile ẽ, & plane ſenibus conuenit, quod concoctionẽ adiuuat, & albis calidius eſt, ſi calorẽ ſpectes, & plus alit album tenue, & ſenes

Vinolẽti nõ poſſunt liberis operã dare.

Quod uinũ ſenibus dandum ſit.

ſenes omninò fugiũt hmõi uinum quod craſſum & dulce, nigrumq́; eſt; quoniam uiſcera obſtruit. Ro. Menippe teſtor Iouem, quod nullus philoſophus & medicus olim mihi ſatisfecit niſi impræſentiarum tu, qui philoſophia & medicina clarus es, & de ueris rõnem reddis, propterea mihi dubitanti reſpõdeas. Men. Ita faciam ut iubes Rota amiciſsime. Ro. quod nã uinum lotium mouet, ac prouocat? Men. Tenue & uinoſum, uti raciſum, quod Capuæ, ac Sinueſæ oritur, & hmõi quod ualde calidum eſt, multumq́; aperitiuum, ut uinum tenue & aquoſum quærentes prouocati onẽ lotii nullo pacto bibãt. Ro. nunquid laborantibus oculorum dolore dandum ſit uinum? & quale? Men. Bona & utilis eſt dubitatio & in medicina neceſſaria, uini potio non in omni dolore oculorum eſt adminiſtrãda, quia in multis paſsionibus oculorum nocet, nã ſi materia ſit bilioſa uinum mirifice nocet, imo in hoc affectu non eſt concedendum, & quando oculi ſunt ſqualidi & uenæ admodum tumidæ, quæ in illis ſunt, & non plenæ ſanguine uideantur, uinum potui detur, & ſit album & tenue ſubſtãtia, neq; ualde antiquum, & minime omnibus concedendum eſt, ſed

Marginal notes: Dubitatio. (beside "rea mihi dubitanti") — Solutio. (beside "cat? Men.") — Dubitatio. (beside "cto bibãt") — Solutio. (beside "quale? Men.")

ſed aſſuetis tãtum, & ſiccam habentibus temperaturã, ualdeq; frigidam, exiſtente aũt humorũ fluxione, nullo pacto dandũ eſt niſi prius facta ſit purgatio uel uenæ ſectio, ſi opus fuerit. Rõ. Satis Menippe doctiſsime uinũ cõmendaſti, merito uindemiator in cœlo ſedem habet, & Bacchus liber deus eſt uocatus, uellem alia problemata tibi proponere ſi mihi reſpondere uolueris. Men. Paratus ſum, animo libero loquere, nullum quippe locum tacendi apud me reliqui, tibi in rebus omnibus ſatisfacere conabor. Ro. Cur uinum aquoſum frigidum eſt? cũ reliquum uinum frigidum dicitur collatione alterius uini calidioris, & uinũ aquoſum appellatur, nõ quod habitum corporis refrigeret, ſed quo ad uinum potens collatum nimis ſit calidũ, propterea inquit Galenus, ex genere uini albi nullum fortiter calfacere poteſt, & uinum aquoſum exhibeatur calidis tẽperaturis, atq; febricitãtibus, quia humectat magis quã aquã, & urinam atque excrementa ciat. Ro. Cur pacto uini meracitatis famem tollit? Men. Quia fames non naturalis ex frigidis acidisq; humoribus oritur, in ore uentriculi exiſtẽtibus, & uini potio calfacit, thoracemq; armat, ideo famẽ, & appe-

Vindemiator ſydus.

Problema

Problema.

& appetentiã tollit quã quidem atra bi-
Problema. lis creat. Ro. Cur ebrii obmuteſcunt?
Men. Quia neruos & cerebrum uinum
immoderate hauſtum implet & propter
primum ſenſoriũ oppreſſum fit apople-
Problema xia, & ſic fiunt temulenti abſque uoce.
Ro. Cur uinum cõuulſionẽ facit? Cum
ſit calidũ natura & conuulſio ſit morbus
frigidus? Men. Quia immoderate ſu-
mitur, propterea morbos frigidos gene
rat, quãdo uero moderate bibitur, calo-
rem innatum auget, & uim alimenti ma-
xime familiaris habet. Ro. Quare im-
Problema modica uini potio ſitim magnam facit?
Men. Quia ex uino feruenti calidi ele-
uantur uapores, & os uentriculi feriunt.
et ſic ſitim generant. Ro. Cur uinũ eſt
aqua miſcẽdũ? & quis primus uino aquã
miſcuit? Men. Vt facilius ad oẽs cor-
Staphilus primus qui aquã in uino poſuit. poris partes penetret, & primus qui ui-
no miſcuit aquã Staphilus fuit, & iuſsit
uinum meracius dari ſenibus, dilutiusq́;
iuuenibus. Ro. Rem gratam mihi fece
tis, ſi de uino factitio ſermonẽ protaxe-
ris poſtquam copioſe de uini geneſi ſer-
monem cõpleuiſti. Men. Libenter, at
non ita copioſe loquar, ſed ſummatim
recẽſebo, quia ad Fabiũ arcellam Capuæ
Antiſtitem profecturus ſum, qui paulo
ante

ante ſuum ad me miſit cubiculariũ. Ro. Age ut libet tibi. Men. Vinum factitiũ innumerabilis generis exiſtit,& ad uſum medẽdi ſpectat,Omphacium ex uuis thaſiis acerbis fiebat,uel ex aminæis ante canis ortum, proderat tonſilis uuæ ,ulceribus oris,auribusq́; purulentis,Oenantinum uinum è labruſca florẽti fiebat, præcipue in Syria,Cilicia & Phœnicia, urinã ciebat,ſiſtebat aluum,& ſanguinis ſputũ cõpeſcere uidebatur; uinum adinomon conficiebatur ex æquali mẽſura muſti & aquæ,impotens erat & dabatur infirmis ne uini noxam paterentur; uinum Phœnicite, hoc eſt palmeum, antiquitus hoc modo fiebat, ex palinulis maturis ,& aqua, & eo Parthi aliiq́; populi utebãtur, fiebat quoq; aliud uinũ ſemine milii maturo cum ipſa ſtipula & muſto , & poſt ſeptimnm menſem percolabatur . uinum Malitite ex quinq; congiis muſti & congio uno mellis & ciatho uno ſalis fiebat, dabatur laborantibus diuturnis febribus, & morbis renum, atque uentriculi, quinetiã priſcis tẽporibus uinum fiebat ex loto arbore, ex pomis & hortenſibus herbis,multisq́; fructibus & ex malis punicis maturisq́; quod Rhoiton Priſci uocabant,& ex moris ſiccis,& nucleis,ſorbis,

Vinũ factitiũ pluris generis.

.bis, neſpulis piriſq;: uinum arte magna antiqui faciebant, ut Cato, Columella, Dioſcorides, modum faciendi ubertim docent, ex frugibus uinum diuerſis, tẽpore noſtro fit, quod Aegyptii Zitũ uocant, Germani ceruiſiã. Ro. Hactenus de uino factitio, dicamus tantum tẽperaturam Ceruiſiæ qua illæ gẽtes ſitæ ad ſeptẽtrionem utũtur, uino carẽtes, quæ quidẽ potio ex tribus cõficitur rebus, tritico, & hordeo, et lupo ſalictario, ut tu optimè ſcis, quia in eã regione diu moratus es. Men. Rota amiciſsime qualis ſit tẽperatura Ceruiſiæ uix explicare poſſum, cum differentia illarum rerum ex quibus cõficitur maxima ſit, dũ.n. plus aquæ quã ordei uel tritici capitur et ordei et tritici pluſquã lupuli ſalictarii, quãuis iſta tria temperari poſſunt, ut ex miſtione trium harum rerum potio generetur temperata, qualis eſt Ceruiſia dulçis, et quando Ceruiſia amara eſt, calida efficitur tẽperamento; urinã pellit, et talis potio grata eſt uniuerſis populis, regiones aquilonares habitantibus, qui ſunt robuſtiſsimi, ſed ego ceruiſiam cõmendo, quæ præter uirtutem ſeu facultatem nutriendi, quam ex tritico uel ordeo acquirit medicamẽti uim quoq; obtinet, ex facultate lupi


Dioſco. Cato, Columel. ſcrip tores de uino factit io

Ceruiſia.

telupi falictarii. Ro. Satis cópiose do ctéq; dixisti Menippe, ut soles, hactenus dimittamus alia problemata, nec ultra progrediamur, interdũ appara te ire ad antistitẽ Capuæ qui philosophorum atq; uatum amicus est, et alter Mœcenas est, merito fortunatus est, quia semper uiris bonis benefecit, et te philosopho et me dico utitur, ut Phalaris Agrigẽtino. rex, Polydeto medico eruditissimo utebatur, cui ualde carus fuit; tibi grates ago innumeras, quia mihi in omni re satisfecisti, Cleobule, Calliste, hinc recta abeamus. Cle. Cal. Vale Menippe et uiue felix. Men. Bonis auibus, abite amici dulcissimi, et uestri Menippi memores estote. Cleo. Rota tua disceptatio cũ Menippo non minus mihi grata fuit quã conuiuium. Ro. Iocaris ne Cleobule, an serio dicis? Cle. Vera dico Hercle. Ro. Animaduertisti ne, quod ab utrisq; dictum est? Cle. Diligenter disceptationem percepi, omniaq; problemata in memoria teneo, et uini naturã omnis generis didici; quæ prius me latebat, quãuis sim absthemius, sed mi Rota facundissime abeundi atq; cœnãdi tẽpus est, hunc omittamus sermonẽ, Cras cum Callisto, summo mane ad te redibo. Ro. Feliciter

ter abi Cleobule cũ noſtro Calliſto, qui æque nos beneuolẽtia, ut ſeipſum ample ctitur, Cras omnino cum eo uenito, quibus prandium parabo, et gratiarũ nume rum non excedemus, et meas eglogas, in quibus ludi piſcatorii tractantur atque Elegias, epigrammata quoq;, quæ nuper in Egle compoſui uobis legam amiciſsi mis. CLE. Mihi et Calliſto rem gratiſsi mam feceris, tua.n.poemata perlegerẽ cupimus, quæ à te ædenda ſunt, ut latini, Hetruſciq; uates uno ore teſtantur. uale doctiſsime Rota, uale Muſarum decus cum tuis muſis, cras nos conuiuas, ut iu bes habebis et acerſiti ueniemus, et nõ ultro, ut Menelaus, qui ſpõte ſua ad con uiuium Agamemnonis acceſsit. CLE. Calliſte ad noſtras ædes proficiſcamur, iã aduesperaſcit, per Iouem hic dies lapil lo albo numerandus eſt: diſceptatio.n. Rotæ doctiſsimi uatis et Menippi philo ſophi clariſsimi nos admodum delecta uit. CAL. Ita ſanè eſt, ſed mi Cleobule te rogo, ut cras in aurora uenias, aut ſub galli cantum. CLEO. Ita faciam. I felix Mercurio duce.

Menelaus ad cõuiuiũ. Agamemnonis.



F I N I S.